IOACHIMI CAMERARII PABERGENSIS IN M. TVL. CICERONEM ANNOTATIONES.

*

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

APVD SEB. GRYPHIVM LVGDVNI,

1552.

IOACHIMVS CAMERARIVS PABERGENsis ornatißimo & clarißimo iuueni Danielo Stibaro canonico Vuurcepurgensi,

S. D.

INTERROGATVM ab Arato, Timonem illum Phliasium, unde censeret exempla Homericæ poëseos paranda, cùm requireret quàm optima & integerrima, respondisse ferunt: Dandam ipsi operam, ut adipisceretur maximè uetera & minimè correcta. Nec falsò hoc ille quidem, quamuis diuina & humana nihili penderet, monuit. Crebritas enim & audacia emendationum non parum corrupisse scripta huius tanti autoris existimantur atq; deprehenduntur. Sed nobis ne etiam uerendum, DANIELE, ne quis idem uerè obijcere possit: Quo magis correctos libros Ciceronis edimus, eò studiosos huius autoris postea deprauatiores illos habituros esse? In nos quidem hoc iure dici nequeat, qui propemodum nimia quadam religione in lectione scriptorum ueterum & semper uersati, & posthac uersaturi sumus: Et nunc, ne autoris scripta emendatione aliqua nostra quasi interpolarentur, in charta separatim annotauerimus ea quæ mutata reperissemus, aut esse mutanda censuissemus. Sed ne in ullis quidem eruditis & diligentibus hoc crimen adhærere poterit, qui cura & studio suo annisi fuerint, ut ueritatem, qua olim editi in uulgus libri carerent, maximè quidem de ueteribus illorum exem-

plis, sed deficientibus his de industria quoque & intelligentia sua reponerent, & uitia scripturæ tollerent. Ii enim ipsi hoc agunt, ut in aliorum scriptis ingenium ostentent suum, utq; in præclara doctorum ueterum inuenta ac tradita, id quod Homerici isti castigatores fecere, inquirant: sed ut uel ab indoctis, uel à parum attentis descriptionem librorum antiquorum, in negligentia & incuria atq; etiam inscitia deprauatam, uitijs repurgent, & ad lectionis cum utilitatem tum iucunditatem reparent. Qui enim ex mendosis libris fructus percipi potest? aut quam non molestiam potius inde suscipi necesse est? Quapropter ut correptionibus libros corrumpi non iuerim inficias, cum imperiti & temerarij homines per summam licentiam his abutuntur: ita his temporibus planè illæ sunt necessariæ: propterea quòd edidere quondam scripta ueterum autorum homines non modò ignari linguæ illorum, sed etiam à literarum & scripturæ scientia alieni. Cum autem statuisset HERVAGIVS noster, iterum iam emittere de officina sua opera Ciceronis, quæ ante aliquot annos diligenti cura elaborata ediderat, petijssetq; à me, ut si possem, opera mea adiuuare uellem studium suum: posse autem aiebat, quòd non indiligentem lectorem Ciceronis me, neque oscitanter in scriptis illius uersatum esse sciret: Ego quidem non potui denegare hoc illi, aßiduo & diuturno labore suo de re literaria bene merito: præsertim cum eiusmodi hic esset, ut in eo omnes nos qui lingua Latina studemus fieri eruditiores, ultro concurrere, & totis uiribus anniti, omnesq;, ut aiunt, neruos intendere par erat. Sed hoc mihi fuit & in recipiendo hoc opere contrarium, & in faciendo molestum, quòd solus, & ab ijs adiumentis quæ requiruntur in correctionibus imparatior, nihil præ-

clarum,

ctum, quodq; iam, non alijs dico, sed mihi ipsi magnopere placere posset, fabricaturum me esse prauiderem. Attamen in spe non pessima aggressus sum ad rem imparem illam quidem uiribus nostris, si uniuersa spectetur: sed cuius tamen quasi particulis quibusdam perpoliendis satis nos futuros esse consideremus. Totam autem perficere atq; absoluere, cum doctissimorum erat uirorum, tum etiam complurium: quos ad hoc conduci atque congregari iam Regum & principum, aut eorum qui opibus & diuitijs abundant munus & curatio esse debebat. Hi autem, ut uidemus, alias habent, neque his nugis, ut quidam appellant, uacare possunt. Reuertamur ergo ad nos, neq; auxilia externa frustra circunspiciamus. Atque ego quidem suscepto recognitionis cuiusdam scriptorum Ciceronis labore, quotquot potui exempla illorum conquisiui, sed ea omnia fuere noua, in maxima etiam uetustate. Inter hæc unum recentissimum nacti sumus, sed optimum: quippe quod ad prisca quædam descriptum, & luculentis annotationibus illustratum esset à P. Victorio, doctissimo, ut res probat, uiro: quo plurimum in diuersitate lectionis & scripturæ uarietate annotanda usi sumus. Etsi autem priora interdum retinuimus secuti rationem & iudicium nostrum, illius tamen libri, quem Venetum quodam insigni nomine placuit appellare, testimonio in plerisq; fidem habuimus, & illius autoritatem sumus secuti. Neque debet quisquam nos hac in parte cuiusdam superbiæ & arrogantiæ condemnare, qui non dubitauerimus nos ipsos ueluti cognitores dare in his dissensionibus, neque ueriti simus pronuntiare, quasi de controuerso iure ueritatis. Ego enim longo tempore & studio diligenti, non prorsus destitutum ingenio, mediocri etiam præditum doctrina in accurata

 quadam

quadam & sedula opera lectionis Ciceronianæ, hoc me consecutum sperare posse uideor, ut non quidem tanquam iudicis, sed tanquam uniuscuiusuis de consilio eruditorum sententia nostra haud aspernanda esse uideatur. Non autem probare statim omnia singulatim, cuius uniuersam elaborationem admireris & laudes, hominis uidetur esse non leuis neque incogitantis. Atque ego ista Petri Victorij editione Veneta nihil studiosius, nihil etiam maiore cum fide ac religione fieri potuisse statuo. Sed uisa interdum quædam nimis contra receptam & usitatam lectionem exquisita. In quibusdam etiam nimis illum suis exemplis tribuisse cœpimus suspicari. Qui comiti erranti monstrat uiam, illi. Sed dubium non est, quin comiter, uerum sit, idq; planum fit oratione Corneliana. Item. Tiberina illi dissensio. cum certè, decursio, rectum sit. In alijs splendidæ illæ mutationes. Senex de Repub. memoria. Immo bene de Repub. meritorum. Et non ioca alicubi sed loca. Non, Victor Thessalia Brundusium cum legionibus reuertisti, sed a Theß. potius. Nihil inter te atque quadrupedem aliquid: alij aliquam malunt. Hæc & his similia, nam pauca uisum est referre: Nonne considerationem non imprudentis hominis excitare debuere? Nonne etiam cogitationem suscitare potuere, fieri posse, non ut una harum scriptionum de altera mutata, sed utraq; ut reperta fuerit? Nam & primo quondam edita quædam postea mutata castigataq; sæpe scimus: Et non abhorret a uero, diuersa exempla de diuersis archetypis non de uno transsumpta & prodita fuisse, ut non statim derideri eum oporteat, qui de scriptura quæ uere etiam ex aliquo uetusto libro mutari poßit, uerbum aliquod aut aliquam figuram orationis usurparit, secutus suum exemplum, præsertim si illa non sint inconsentanea,

tanea,

tate, neq; ueluti externa. Nam temere aliquid in scriptis autorum ueterum uel reponere, uel inculcare, uel inducere, omnium semper doctorum indignationem meruit: neq; est ferendum. Itaq; illos tales correctores, cum sic quærere uideo, Quid si ita legas? quid si ita? Et rursum, Potest fieri ut hoc rectum sit, potest ut hoc, atq; ita deinceps plura, ridere nonnunquam soleo, uenitq; tamen fere in mentem ioci illius quo L. Crassus fertur teste quendam leuiorem refutasse. Cum enim uolente illo Crassus posse fieri dixisset, ut quod commemorasset, id audisset ab altero irato, posse etiam fieri ut non recte intellexisset, addidit tandem posse etiam fieri ut non audierit omnino. Nam & his mutatoribus suarum quoq; correctionum idem dicere liceat, posse fieri etiam, ut nihil sit uerum eorum quæ coniiciendo collegerint. Quod tamen ipsum non eo à me asseritur, ut nullas coniecturas in ueterum scriptis explicandis restituendisq; afferri ualereq; oportere existimem, aut industriam hac in parte eruditorum retardari uelim, aut studium frangi: sed ut ostendam aliter fieri non posse, quam ut in hac frequentatione & crebritate correctionum quædam non probentur ab attentis & diligentibus inspectoribus, & quin electio & iudicium ad hæc sint adhibenda. Id quod & in nostris fieri non solum non recusamus, sed etiam uolumus atq; cupimus, nihil ut ualere horum debeat, nisi quod quadam illustri specie ueritatis assensionem eruditorum allexerit. Atq; hæc me causa mouit, ut non mutare statim uellem, quamuis sæpe improbarem ante editas scripturas, sed annotare diuersitatem, cum significatione quid nobis uideretur: si autem illas iudicarem retinendas, multo etiam magis. Potueramus autem facere in pluribus qualecunq; est quod in his paucis præstitimus: Cui enim est ignotum, quam uarie passim lectiones subie-

 ctæ de

ctæ demonstratæq; uel exquisitæ quoq; fuerint in scriptis Ciceronianis, in quibus & delectus necessarius sit, & de quibus cum in otio, tum literarum scientia mediocri facile dici aliquid posse uideatur. Verùm nos non tam ab his destituti, quàm iudicio & uoluntate fuimus breuiores, quòd multis de causis modum tenendum in opere suscepto existimaremus: potißimum autem uel propter aliorum multorum elaborationes, uel propter periculum non modò commune talium conatuum, sed proprium etiam nostrum, qui soli, & de sola quadam industriola nostra, sine laboris huius socijs, sineq; adiumentis omnibus, quasi proprio Marte, ut dicitur, hæc aggreßi essemus. Sed hæc tamen pauca cum studiosis doctrinæ & literarum probare diligentiam & aßiduitatem curæ nostræ, tum etiam aliorum uoluntates ad similes elaborationes impellere, aliorum animos ad maiorem attentionem excitare poterunt. Quorum alterum mihi laudis, alterum utrumlibet præmij satis attulerit: cùm nihil tam esse cuiusquam proprium, quàm diligentiam & aßiduitatem constet: Et siue hoc efficiatur plurimi ut ad excolenda & illustranda scripta Ciceronis totis animis incumbant, seu lectio illius posthac accuratior magisq; sedula ut sit, nihil poßit accidere mihi iucundius neque gratius, qui fructus operæ & laborũ uberrimus & præcipuus esse consueuit. Tibi autem, DANIEL, hæc etiam inspicienda & cognoscenda transmisimus, de cuius ingenio, prudentia, eruditione præclarè, ut par est, sentimus, cuiusq; maxima cupiditas erga optimas artes ac disciplinas, & odium barbariæ ac uesaniæ seculi nostri mihi est perspectum: beneuolentiam uerò erga nos, uel summum potius amorem, alijs etiam notum esse confido. Vale, XI. Cal. Ianuarij.

IOACHIMI CAMERARII AN-NOTATIONES IN PRIOREM LIBRVM RHETORICORVM CICERO-NIS.

DE ARTE *rhetorica, ferè præscriptum his libris omnium editionum reperimus: Sed alicubi tamen, de inuentione, non de arte Rhetorica, quod & Venetum exemplum ſecutum eſt: alioqui artem ueterem hanc uocarunt. De his omnibus nihil magnopere retulerit quodcunq; retinere uoluerimus. Nam & Rhetoricæ certè artis præcepta his libris traduntur, & ea inuentionis non collocationis, neq; diſpoſitionis aut pronuntiationis. Et ante alios libros rhetoricos hoc ſcriptum à Cicerone compoſitum fuiſſe dubium non eſt.* PERMISTE *diſperſimus. poſt, diſcretè & electè.) Veneta editio permixtim & deſcriptè habet, quorum prius aduerbium, te, an, tim, terminatione proferatur, ad ueritatem nihil interfuerit: literam tamen illam uaſtiorem ſequente conſonante in s, à ueteribus mutatam ſcimus, ut dicerent iuſta, non iuxta: Seſtius, non Sextius. Alterum aduerbium, ſiue ueteribus exemplaribus ſuffragantibus, ſeu dubitatione de priore emendatoris repoſitum fuerit, non reijcimus: nam planè Ciceronianum eſt, in ſignificatione ordinis & diſpo-*

sitionis. LEVATVR.) *Veneti & alij alleuiatur, quod meritò plerisq; suspectum est.* Nos in suspitione propemodum *affirmare non uereamur, legendum, eleuatur, ut intelligamus, si non debilitari etiam poßit confirmatio aduersariorum, hoc tamen conandum ut leuis & futilis esse uideatur.* SECTIONE *uenerit.*) *Veneti libri ita, Cuius prædæ sectio non uenierit, id quod uerum esse existimo: nam sectio uendi dicta.* Ea *autem erat pars bonorum uel damnatorum, uel hostium quæ ueluti resecta esset de reliquis. Quid enim uetat hinc etiam uocabulum deducere, quamuis Asconij interpretationem non ignorem, quæ uulgo affertur. Ille igitur equus qui in publicam prædam non esset deductus, iure belli acquiri potuit. Deduci autem non fuit necesse, non proposita prædæ sectione.* CVM *aut res aliusmodi est.*) *alijmodi* Ven[illegible]s *liber.* Atq; *annotant quidem & Grammatici talem flexionem nominis, sed & fieri potest ut s, pronuntiatione delicuerit, quod postea fuerit secuta scriptio, ut cuiusmodi, pro cuiuscuiusmodi: & alijmodi pro aliumodi.* NOMEN *autem cum dicimus cognomen quoque & agnomen intelligatur oportet.*) Agnomen, *omisit editio* Veneta: *Grammatici tamen à cognomine illud distinguunt: fuere autem ut notum est πολυώνυμοι* Romani. Non *tamen, ut quidam Græcorum putarunt si paucißima essent nomina, tria omnino habuere.* Nam *neq;* C. *Marij neque* Q. *Sertorij, neq;* L. *Mumij, qui* Achaicus *de gente uicta cognominatus fuit, tertium nomen memoratur.* Omnia *quidem quæcunq; de causa homini imposita nomina, cum certum quendam hominem designent, propria sunt: prima tamen* Romanorum *appellatio uerè propria in uiris quidem, uidetur esse:* Quippe *qua inter se qui non solùm diuersarum familiarum sed eiusdem etiam essent,*

discerni

discerni possent. Vt M. Tullius Cicero, & Qu. Tull. Cic.

EX TOPICIS.

EX QVO *in tectum.) Alibi, ex quo tecto in eius qui protexisset.* Respondet *autem.* Quàm *longum fieret tecti parietis communis proiectum, dummodo aqua non ferretur super uicinum: tegendi ius habere qui uelit, quia suum solum occupet.* Id *enim esse ædium ambitus solum Scæuolam statuisse.* EICENDI *epistolam.)magis probo, quod & Boëthius, ut uidetur, legit discendi.*

GRAECE παραγωγὴ *nominatur.) Sane fit ut talibus inductionibus etiam seducatur aliquis, hoc est in errorem inducatur: ut exemplum Cicero exposuit perelegans* Rhetoricorum *primo,* ἐπαγωγὰς *certè* Græci *dixere.* Et *fieri potest ut de* Boëthiana *explicatione mendum in textum irrepserit.* Nam *ita ille,* Omnis *uerò similitudo duplex est: aut enim ex pluribus rebus similitudo colligitur, & inductio nuncupatur quod* Græci *paragogen nominant.* Ego *uerò suspicor librarium scripturam confudisse, cum in archetypo esset per epagogen.* ADIICERE *arbitrum.)* Adigere *uera est lectio, ut sit ad arbitrum agere, qua figura iuris ciuilis & alibi,* Cicero *usus est, corruptis tamen ferè uulgo locis.* NIMIVM *te amare uideare.)* Vera *lectio uidear, quam &* Boëthium *secutum apparet.* Si *enim in eo obsequatur fortè* Trebatio *ut nihil scribere uelit, nisi quod ad ipsius professionem pertineat, errare uideatur in quodam nimio amore erga illum suo.* QVAM Græci *καταγραφὴν.)* Alij *ὑπογραφὴν.* Atq; *ita certè appellant* Græci *breuem expositionem cum quale quid sit dicitur.* Sed Veneti, *χαρακτῆρα habent.* Qui *quidem & ipse expressionem significat, &*

χαρακ

χαρακτηρίζεται. *ut cum dicitur Ouidius esse Poëta amoenus & lasciuiens quadam ingenij ubertate, saepe etiam incogitantius. Item, Maronis omnia esse cum ingenio tum arte atque attentione elaborata, & doctrina referta. Sed illam tamen* τῆς ὑπογραφῆς *scripturam cur mutare aliquis uelle debeat non uideo.*

EX PARTITIONIBVS.

QVAE *est gemma lit.) germana alij. Veneti, gemina, & rectè quidem, id est,* ἀδελφὴ *ut Platoni* ἀδελφαὶ ἐπιστῆμαι *ut geminum consilijs Catilinae, & alibi similiter.*

EX LIBRO PRIMO DE ORATORE.

VT ET *blandiri & suppliciter insinuare ijs.) Veneti, ut & blandiri suppliciter ijs à quibus. Quae lectio comprobatur mihi, praesertim astipulantibus uetustiss. editionum libris. Non possum tamen satis confidenter illam alteram reijcere, quippe quae nihil uitij prae se ferre uideatur.* ADEST *enim ferè nemo quin acutius atque acrius uitia iudicet, quàm ea laudet quae recta uideat.) corrupta scriptura ab aliquo qui, pro, indicente, iudicet, legisset. Itaq; uera est Venetorum codicum, quin acutius atque acrius uitia in dicente quàm recta uideat, cùm quo congruit quodammodo quod Horatius ait:*

Discit enim citius meminitq; libentius illud
Quod quis deridet quàm quod probat & ueneratur.

POSSE *facilè caeteris.) haec est lectio plana & sensus euidentis. Veneti habent posse se facilè. Quo quidem modo fit paulò intricatior. Nam intelligemus tum quòd Antonius uideatur sibi posse se facilè caeteris armis prudentiae*

de..tiæ causas tueri, quod tamen haud scio an Cicero nequaquam uoluerit. Si etiam, per se, legatur, omnia expedita fuerint. Sed cum scriptura primo loco commemorata commoda sit, cur aliam persequamur nullam esse caussam puto. QVOD cuicunq; particulæ cœli officeretur, quamuis esset procul mutata lumina putabat.) Veneti ita. Quod cuicunque particulæ cœli officeretur, quamuis esse procul, mutari lumina putabat. Quæ mihi quidem cum minore offensione quàm priora procedere uidentur; hæc scriptura si ueterum exemplorum est, nihil aliud quærendum existimo. Sed nos in uetustißima editione pro, ita, uia, reperimus, & coniecturam sequentes illius scriptionis in eam opinionem deuenimus, ut suspicaremur in archetypo fuisse illa quamuis esset procul, ut sensus sit de illa particula. NEGARETQVE, nisi Posthumus, & natus, & antequam in suam tutelam uenisset, mortuus esset, heredem eum esse posse, &c.) Veneti ueniret, & hæredem eum esse non posse. De priore, in paruo discrimine pono utrum retineatur: quamuis nostra lectio mihi non improbetur. Posteriorem scripturam uisum est annotare, cùm suspicarer illam negationem non fuisse temere inculcatam, sed posse fieri ut hæc uera lectio esset. Caussa autem Curiana neminem fugit qualis fuerit. Cuius ut apparet in singulari quadam ipsius celebritate, mentionem Cicero fecit sæpius. Vt hoc loco, & in Topicis, & in Bruto. Atque secundum hæredem oppugnasse Scæuolam satis constat, cum defenderet Coponium, ad quem ab intestato hæreditas pertineret. Quomodo ergo negauit hæredem esse non posse eum qui substitutus esset, id est, dixit posse esse, contra quod ageret? Est igitur prior scriptura in simplicitate euidens, sed hæc Veneta fortasse eruditior,

si ita

si tamen uera, & græcissans. Nam negauit non posse esse hæredem Curium Scæuola, id est, Negando asseruit non posse illum hæredem esse. Notum enim Græcos geminare negationes, in affirmandi significatione, ut πείσομαι γὰρ οὐ τοιοῦτον οὐδὲν ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν. Antigona. Et similes Varronis locutiones à Grammaticis exponuntur, ut negat nescisse, id est, clamat ignorare. Et Terentius Heauto.at. Nam nescias eius sit potestas posthac an nunquam tibi. Et de Natura deorum, lib. II. Quod nescio an ne in uno quidem uersu posit tantum ualere fortuna.

EGO *autem defenderem hac eum mente fuisse.) plana quidem de his uerbis res. Sed coniectura ducor de uetustißima editionis scriptura ueram lectionem fuisse. Ego uoluntatem defenderem, eum hac tum mente fuisse.* CVM *quæritur is qui Domini uoluntate census sit, si modò sit conditum lustrum, sit ne liber.) In omnibus ferè exemplis quæ edita sunt legitur, si non sit conditum lustrum. Sed in quodam uetustißimo totum hunc locum ita exaratum reperi, Cùm quæritur, is qui Domini uoluntate census sit, si non conditum lustrum sit, sit ne liber? Et continuo'ne. An tribus lustris conditis liber sit. Quæ mihi nulla ratione omittenda quin annotarem uisa sunt: Etsi enim non suppetebat certa & indubitata explanatio: illorum tamen uel excitandæ cogitationes & studia eruditorum, admonitiuncula quædam nostra ut attenderent his animum diligentius, uel quod à nobis deprehensum esset, dißimulandum nihil fuit. Ac constat quidem censum indicio fuisse, cum quòd census esset pro ciui tum se gesßisse, ut ait Cicero in oratione pro Archia. Atque etiam omnino eos qui in seruitute iusta essent, censu liberari solitos, ut in oratione pro Cæcinna dicitur, sed hoc ius haud scio an his*

tempor

temporibus penitus ignoretur. Præterea condi lustrum non idem uidetur esse quod censum agere. Nam hoc peracto lustrum demum condebatur, id est, censionis tempus quadam solennitate notabatur, ut de primo libro historiæ Liuianæ clarè potest perspici, ubi lustrum conditum dicit, quòd tum censendi finis factus fuisset, quasi interpretans, quid esset lustrum condere. De his igitur ueluti initijs, nos unà cum studiosis Latinæ linguæ quæremus amplius: Neque hæc tamen etiam prorsus, si nil aliud forte inuentum sit, contemnemus.

EX LIBRO II.

ITAQVE *illi*, Theopompus, Ephorus, *&c.*) *In ueteribus exemplis numero multitudinis leguntur hæc nomina*, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratæ. *Quæ scriptura sine causa fuit mutata.* Nam *&* alibi Decios, Curios, *&c. dicit, abutens* ἐμφατικῶς *numero.* ATQVE *ego is qui sum, quantuscunq; sum, adiudicandus omnibus.*)*Vera haud dubiè lectio, quam & uetustißimi libri retinent hæc est*, Atq; *ego is, qui sum, quantuscunq; ad iudicandum. Similes autem locutiones & alibi apud Ciceronem reperias. ut* Philippica IX. *Vita Seruij Sulpitij multis erit præclarisq; monumentis ad omnem memoriam commendata, id est, in omni memoria, & in* Bruto, *pleniorem & uberiorem ad dicendum, sed illa prior figura etiam græcissat: sic enim* Plato Hippia *minore* ὅτι τοι οὗτός εἰμι οἷόσπερ εἰμί. NAM *& omne quod eloquimur, fit ut id aut esse.*) *Veneti, sic ut aut esse. Sed uetustißimi libri illam scripturam retinent, quam in summa commoditate sensus cur mutatam uelimus non intelligo.* AVRIFICIS *statera.*)*In uetustiß. libris, artificis legitur: illud tamen*

nequaq

nequaquam improbamus, præsertim cum & aurificem alibi Cicero, & antè Plautus nominarit, & apud Varronem auraria statera legatur. TAMETSI *ea non sit æqua merces.*) Veteres libri, non *sit Iniqua*, habent, & *uerè quidem.* Nam Cicero & *alibi amplissimum præmium uirtutis, & nullam tantam esse mercedem dixit, quàm sit laudis atque gloriæ.* NE IN *rutis quidem & cæsis solum tibi paternum recepisse*) *Aliqui pro, recepisse, reliquisse, libri habent. Alij ut Veneti quoq; pro, solum, solium. Sed illa lectio uera mihi uidetur.* Nam *constat in quodam iure ciuili confirmato apud ueteres* Romanos *usu fuisse, ut ruta cæsa in mancipio reciperentur, uel de* Topicis *ubi* Cicero *ita,* Vt *cùm ædes fundum'ue uendiderint rutis cæsis receptis, &c.* Atque *hoc dicit* Crassus *ne tantulam quidem habuisse scientiam iuris ciuilis* Brutum, *ut de solo paternarum ædium ruta & cæsa recipere posset.* Re*cipiendi autem uerbum & ipsum iuris ciuilis est, quo significatur alicuius partis exceptio quam de ædibus aut fundo retinere uelit uenditor.* Plaut. Trin. Posticulum *hoc recepit cùm ædes uendidit.* Etsi *solium profectò id etiam dixere, in quo honorati & prudentes uiri domi suæ præsiderent, & de ijs quæ ad se relata essent responderent, quemadmodum in tertio de* Oratore *dicitur, ut non prorsus absurda etiam hæc scriptura uideri posit.*

MENDACIOLIS *aspergendum.*) In *ueteribus, mendaciunculis.* Atque *haud scio an aliquis mutauerit uocabulum præceptis Grammaticorum motus, quibus docetur & hanc formam esse nominum in o, ut uirguncula,* Tirunculus: & *illam nominum in ium, desinentium, ut tectoriolum, negotiolum.* MEHERCVLE.) Alibi *mehercules.* De *quo nunc semel dicere uisum, cum sæpißimè*

occur

occurrat. Atque equidem uerum iud'co Mehercules, uel liquescente, s, finali in antiqua pronuntiatione, uel quomodocunque alicubi detrito. multis enim in locis scriptura retinet. Hanc confirmat sententiam, quòd & similiter dixere Mecastor, & Me Dius fidius, ἐκλειπτικῶς, *ut desit, amet, aut iuuet.* AT EX *eodem genere est. Caluus satis est quod dicit, parum ne multa.)* Ego *adstipulante uetustissimæ editionis libro, legendum existimo,* At ex eodem genere est Caluus: satis est quòd didicit parum. Ne multa: Nullum genus, &c. *Atque ita locus manifestus.* GREGALESQ; *eum in campum non uenisse.) uetusti libri ita,* Gregalesq; cùm in campum non uenisset. *Quæ certè locutio simplicior est atque usitatior.* SI *tacete.)* Ita *apud* Plautum *crebro.* Et Terent. Phorm. Si. *Quod tamen in* Est, *mutarunt. Ex eo, ut suspicor num* Si: *sed, st, esse hunc sonum reprimentem orationem & quasi imperantem silentium, eruditiores non immeritò crediderunt.* ANIMI *tui.)* Veneti *& alij ueteres libri non tui, sed mei habent: & uidetur hinc quoque iocus el'ci posse, ut intelligamus hoc tam uehementer affirmasse* Nasicam παρὰ προσδοκίαν. IN *uentrem abstulisse.) Si absque certa coniectura suspicari liberet, quid uerum esset, profectò hoc loco opinarer abstrusisse legendum. sed potius quàm hoc faciamus, res tota in medio relinquatur, sicut & id quod mox sequitur,* Tanta *suspicio est. mihi enim certè admodum arridet,* Tanta *superstitio est.*

EX LIBRO III.

ET QVOD *aliquanto me maior in uerbis quàm in sententijs eligendis,)* Veteres *libri sic,* Aliquanto maior in uerbis & in sententijs eligendis quàm eum labor. Hoc cur *mutarint postea nescio.* ILLA *uerò multo acriora.)*

In ueteribus ita, Illa uerò oculorum multo acriora. neq; uenit in mentem cur mutilandus locus esse uideatur.

EX BRVTO.

LVDIS *luctatijs.*) Veneti, *Ludis Iuuentatis: placet enim quibusdam iuuentatem, ut libertatem dixisse ueteres. ut in primo de* Nat. Deor. *Iuuentatem aut Ganymedem pocula ministrantem. & iuuentam, & iuuentutem. Sensisti autem prælio cum se Liuius cum collega* Nerone *clàm coniunxisset, uictus & cæsus* Hasdrubal *fuit: ita enim* Liuius *scribit.* Ad Senam *alterius* COS. *castra erant, & quingentos inde ferè passus Asdrubal aberat. Sed hæc sunt, ut alibi quoque innuimus, in temporum ratione confusiora. In proximo* Tuscul. *primæ, sic ait:* Liuius *fabulam dedit:* C. *Claudio Cæci* F. M. *Tuditano* COSS. *Anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu quàm* Plautus *&* Næuius*, de quo aliquando multa exquisiuimus quibus locus hic explicari posset. Sed aut errasse (quod tamen uix uerisimile in tali re) Ciceronem planè fatendum: uel accipiendum est, dici* Liuium*, non Ennium maiorem natu fuisse* Plauto *&* Næuio. *sed hæc fortasse ab instituto nostro alieniora.*

AN TV, *inquit, allaborasse huic modo* Bruto *probaturus es?*) *Nihil hæc uerba significare uidentur. Itaque ueram esse lectionem iudico, An tu, inquit, allaboras, Si huic modo, id est, præterea aliquid curas aut requiris. Vt* Horatius, *Simplici myrto nihil allabores: id est, si myrtus simplex aßit nihil ut prætereà requiras.* ANTIMACHVM *Clarium poëtam.*) *Alij, Clarum, quos fortaßè mouit quod Colophonium fuisse Antimachum tradi scirent. sed non ideo scriptura tamen mutanda fuit, cum Clarios constet attribui Colophonijs, neque hanc separatim urbem, sed fanum tantummodo Apollinis celebrari. Paulò uerò pòst.*

PLATO *enim mihi unus instar est omnium, me illum, & rectè.) Quo loco, ut quem deprauatum esse constaret, Veneti libri signum mendi habent appositum. Mihi duplex emendatio succurrit, ut uel legatur, Instar est multorum milium, ut apud Ouidium, in multis milibus unum. Vel, Et mehercules rectè. sed quia nihil est quo ueluti niti & stabiliri coniecturæ hæ poßint, rem incertam in medio relinquimus.* VT *numerarer in multis.) Ad hunc locum nihil habebam quod annotarem aliud, quàm uotum emendationis: quin enim deprauatus uel mutilus etiam sit, dubium esse non poteſt.*

EX ORATORE.

EST *autem quidam interiectus intermedius, & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum, uicinus amborum.) Hunc totum locum ita Non. Marcellus adducit ubi explicat quid Cinnus significet: Est autem quidam interiectus inter hos medius, & quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec flumine utens superiorum, ut Cinnus amborum, neutro excellens, utriusq; particeps, uel utriusque, si uerum quærimus, expers.*

EXANIMANS *uerborum omnium pondera.) Alij Exanimante, quod non improbo. Aeschinis autem uerba sunt oratione contra Chesiphontem:* Μέμνημαι διὰ τὴν ἀηδίαν τοῦ ὀνόματος. *& paulò pòst,* μιαρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα. *Et rursum,* ταῦτα δέ τινος ἐστὶν, ὦ κίναδος, ῥήματα ἢ θαύματα. NEGAT *in eo positas fortunas Græciæ huc an illuc manum porrexerit.) In prioribus editionibus ita legebatur, In hoc in eum huc an illuc. Quæ lectio illa quidem certè mendosiß. est, sed tamen qui ita emendarunt, omnem suspicionem mendi sustulere, quod fie-*

ri non oportuit. Est autem Demosthenis locus in responsione illius, quem subscripsimus. πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο οὐχ ὁρᾷς: γέγονε τὰ τῶν ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα ἀλλὰ μὴ τουτὶ διειλεχθῶ ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρηνέγκη. *De quibus satis apparet mutilum esse Ciceronis locum, & deesse hanc sententiam, ni hoc uel illud uerbum usurparit.* ALIOQVI *quonam modo, &c.*) *Veneti libri ita, Quonam modo ille in bonis hærebit & habitabit suis? ut molli, &c. omissa particula, alioqui. De quo suum cuiq; esto iudicium. Certè si non omittenda illa sit, nec poterit legi, ut molliet, sed aut molliet, uerum erit.*

CARNEADEM *autem eodem etiam modo.*) *Alij Charinadam, nescio quem.* AVT *par Trochcus, qui habet.*) *Hæc lectio si retinenda uideatur particula omnino coniunctiua addenda fuerit, ut sic fiat, Aut par Trocheus, quique habet. Veneti aliíq; libri hunc locum habent planum, ita, Aut par Choreo, qui habet tris breues. Nam* τρίβραχυν *Cicero indicat. & choreum Trocheumq; eundem esse pedem, neminem fugit.*

EX ACADEMICIS.

AC POST *Lælij nostri occasum.*) *Ita fermè omnes libri prænomine cum nomine confuso. L. enim Aelij uera lectio, ut & ex Bruto colligi potest, ibi enim hæc Cicero de L. Aelio. fuit is omnino uir egregius & eques Rom. cum primis honestus, idemq; eruditißimus & Græcis literis & Latinis, antiquitatisq; nostræ & in inuentis rebus & in actis, scriptorumq; ueterum literatè peritus, quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamq; per sese uir ingenio præstans omniq; doctrina, pluribus & illustrioribus literis explicauit.*

Ex

EX LVCVLLO.

INTER *imperitum & oblatum.)* Veneti & *alij libri inteſtinum non impertitum habent, ſanè commodiore ſenſu, ut uidetur. aliquibus imperatum placuit.* PLVRIMVM *intereſt.)* Veneti, *primum, intereſt. idq́; probatur mihi.* Non *enim ſequitur alia ſemper ordinis particula.* Terent. *Primum iam de amore hoc comperit.* Et Vergil. Vrbem Tro*ianam primum dulcesq́; meorum* Reliquias *colerem.* PRIVAT *approbatione omnibus orabat ſenſibus.)* Veneti *ita, Priuat approbatione omni, orbat ſenſibus.* Quod *neſcio, quam ob rem, melius rectiusq́; mihi uidetur.* TANTVM *enim te non modo non.)* Alij *tantum enim te non monuit: puto tamen priorem ſcripturam non incommodè retineri poſſe.* Sed *mox.*

HOC *quæſo caue ne te terreat.)* In Venetis, *caue, omiſſum eſt.* Et *ſanè elegans eſt locutio, Caue te terreat.* Vt, *Caue fixis te quicquam indignum.* & Cicero, *caue facias. Sed & negatiuam particulam cum Cicero tum alij uerbo appoſuere.* Vt & Plautus, *Pridie caueat, ne faciat quod ſe pigeat poſtridie.* QVOD *erant qui illud gloriæ cauſſa fecerunt.)* Veneti, Illum *habent &* Facerent. *Ego ſuſpicor eſſe locum mutilatum, & legendum ſic, uel ſimiliter,* Quod *erant qui illum gloriæ cauſſa facere dicerent.* VT *enim hi qui ſub nubes ſolem non ferunt, item ille cùm æſtuaret ueterum ut nemorum.)* Falſo *hoc quidem.* Alij, *mœnium.* Sed Veneta *lectio uera eſt, mœnianorum:* Nonius *enim ſimiliter legit.* Mœniana *autem, ut uolunt, à* Mœnio, *dicta ædium proiecta quædam, ſub quæ quaſi tecta ſubiri poſſet.* Vnde & Summœnium *hæc loca comprehenſim dicta, &* Summœnianas *uxores,* Martiali, *quòd ſub his ut ſub fornicibus proſtibula eſſent.* Sed *quid eſt, ſub nubes?* Ego *qui-*

dem in his mendum esse facilè cuiuis apparere existimo: castigationem autem nondum reperio. quæramus igitur amplius: nam quod in mentem uenit, pro, sub nubes, sæpenumero, potuisse in archetypo esse, etiam mihi petita longius coniectura uisa est.

ITA *multi sermones prædicti perscripti.*) *Prædicti uidetur temerè inculcatum, & Veneti libri non habent.*

QVATENVS *ne hoc in aceruo tritici summum.*) *Veneti, Quatenus nec hoc in aceruo tritici solum, unde nomen est. Ac esse quidem Soritis nomen factum ab aceruo, qui* σωρὸς *est, satis constat. Cuiusmodi etiam hoc sit captionum & fallaciarum magis quàm argumentationum genus, uel hoc loco à Cicerone planum fit. Quid autem & utrum summum an solum esse dicam, non etiam habeo constituere. Quamuis quidem Solum magis arridet, ita ut scriptura distinguatur: Vt nulla in re statuere poßimus quatenus. Nec hoc in aceruo tritici solum (unde nomen est) sed nulla omnino in re, &c. Atque propemodum ita non malè se habere lectio huius loci uidetur. Vt Cicero dicat, non solum de tritici aceruo, à qua re isti captioni nomen redditum fuerit: sed ne ulla quidem alia de re minutatim interroganti responderi posse certum.* VNDE *illa congregata esset.*) *Veram lectionem esse prorsus credo, congelata esset. Et mox, Aut ebore dolatus. Non. legit, E robore delatus.* ESSE *rerum eiusmodi similitudines.*) *Veneti, dißimilitudines. Idq; uerum uidetur. Nam si probabiles aliæ, contrà aliæ non probabiles uideri debeant, dißimilitudo in rebus sit oportet.* ET *sine decretis uitam agere non poßit.*) *In Venetis negatio est omissa, id quod annotandum putaui, cùm id probaretur sine decretis non posse ne sapientem quidem uitam agere, id est:* μηδὲν δογματίζοιτα.

ζοντα. quæ enim hæc uita esset? Sed in his illum etiam probabilia uult sequi Cicero. DIODORO quid faciam Stoico.) Habuisse Ciceronem secum Stoicum philosophum constat, qui & cæcus fuerit & mortuus domi illius, & qui reliquerit ipsi ad centies, si locus non est mendosus ad Atticum. Sed hunc contendit P. Victorius uir doctißimus, cuius nuper luculentas explicationes multorum locorum in scriptis Ciceronianis allatas ex Italia uidimus. Is igitur uult Diodotum hunc fuisse appellatum. Alterum autem ueterem Peripateticum auditorem Critolai Diodorum. Fuit & hoc uetustior Diodorus, qui dialecticus, & κρόνος cognominaretur. SI adijciamus iusiur.) Paulò aliter in Venetis hic locus legitur: sed æquè obscura & uacillante sententia, ut præterquam quod deprauatus esse uideatur, nihil habeam dicere.

QVAM potißimam sententiam & disciplinam.) Veneti ita liquidiore, ut uidetur, intellectu, Qua potißimum sententia melius eligat disciplinam? Etsi quamcunque, &c.

INFINITATEM naturæ.) Rectè se habere scripturam hanc dubium non est; dicit enim hoc Cicero nunc quod Græci τὸ τ̃ σοιχέιων ἄπορον. ERYLLVM, qui in cognitione, &c.) Facit & alibi huius philosophi mentionem, cuius & explosam sententiam dicit. Nihil enim explicare uidebatur: quippe qui ne esse quidem certum finem ullum interdum docere uellet, sed tempore mutari, quemadmodum nunc de hoc ære Alexandri statua fieri, mox alterius similitudo exprimi posset. Scribendum autem puto Erylum, ut Hedylum & Cratylum. patria fuit Carthaginiensis, auditor Zenonis. Sed paulò pòst, Megarici, & Eretricus, id est, ἐρετριεὺς, legendum, non Megari neque Eretrias. GERMANISS. Stoicis.) Grauiß. Stoicus aliqui. Sed Germaniß. Stoicus uerum est, id est, γνήσιος ἐν τοῖς μάλιςα.

EX LIBRIS DE LEGIBVS.

CERTE *non lõge.) Vera ſcriptura certè: non longe, id eſt, certè'nc.* QVIPPE *cum in illa ad ueritatem quæq; ref.) Veneti ita, Quippe cum in illa ad ueritatem Quinte referantur, in hoc ad del. ut ſit ratio ſubiecta eius quod Quintus dixiſſet. Sed tum præſcribendum erit his uerbis M.nomen.* IN *cantu cecinerat.) Veneti ceciderat, id eſt, lenierat, uel minutiores reddiderat. & mox non concionibus, ſed contentionibus legendum. Videntur autem hæc ita accipienda eſſe quaſi ab Attico pronuntientur. & ijs quæ mox ſequuntur, At mehercules ego arb. præſcribatur perſona Quinti.* SED *noris iſta.) hunc totum locum poſſe ſic rectè legi aliquando putaui. ſed nobis eſt complectenda in hac diſputatione tota cauſa uniuerſi iuris atque legum. In qua nunc etiam opinione perſeuero.* NEC *Manilia cum ſing. &c.) In Ven. hic locus, ut uidetur, multo integrior ita reperitur, Nec Manilia lege ſinguli, ſed ex ijs tres arbitri finis regemus.*

ITAQVE *cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Romanus, habuit alteram.) Alij ſic, Cum ortus Tuſculana eſſet, ciuitatem Romam habuit, alteram loci patriam, alteram iuris.* SYMPHRADAS.) *Satis notum eſt Theſea*
Lib. II. *tradi primum autorem popularis adminiſtrationis fuiſſe in Attica, & coëgiſſe regionis illius incolas in unam urbem, cum antè per ſuos quoſdã populos, id eſt, δήμους per agrum Atticum ſparſi eſſent. Etſi ſunt qui ad Meneſthea hoc factum referant. Sed in populari adminiſtratione φρατριαὶ gentilitatis quædam fuere coniunctiones, quibus familiæ conſeruarentur. Itaq; legendum συμφρατρίδας uel συμφατρίδας nihil enim intereſſet, planè ſtatuerem. Si inducere animum poſſem ut hoc uerbo eſſe uſos ueteres crederem. Nam*

cos

eos qui essent quasi gentiles, id est τ͂ αὐτ͂ φρατρᾶς, *συγγενᾶς nominasse reperimus, non* συμφρατίδας. *Et huius tamen etiam uocabuli origo manifesta illa quidem est: nec forma, ut existimo, omnino aliena. Sed etiam hoc in medio de quo amplius quæratur, relinquamus. Nam quod quibusdam,* ἐυπατρίδας *placuit, uereor'ne mutatum audacius existimari poßit.* HABET *ciuitates duas, sed illas unam ciuitatem putat.) Hæc uerba plerique libri non habent. Et rectè quidem. Nam quis non uidet inculcata esse in contextum disputationis Ciceronianæ, de diligentis lectoris annotatiuncula, qui ueluti summulam illius sibi in margine annotasset? Id quod & alibi accidisse animaduertimus.* ET *tibi nihil eorum deberi potest.) Puto non longè à ueritate abesse lectionem quam subieci, Sed tibi nihil horum deberi potest. Iocatur enim Cicero ut dicat promissorum esse ualde memorem fratrem, & ea solere exigere, neque pati ut diutius debeatur. Sic etiam secundam Tuscul. clausit, Cras ergo ad clepsydram, sic enim dicimus, sed tibi in Deo non posse deberi.* CVI *quid mali fuerit ulla.) Probatur Veneta scriptura, cuicuimodi fuerit illa. De uocabulo autem, cuicuimodi suprà diximus. Sed Cicero nunc uult, legem perniciosam quamuis præclarè perlata atque etiam libenter à populo accepta sit, legem tamen dicendam non esse.*

EGO *uerò ne Lenias quidem.) Veneti Liuias.* OSCINA *Pianto.) Veneti, Obstita. Quid enim oscina fuerint? Etsi obstita quoque nescio quid hoc loco esse dicam: placuit igitur quibusdam obscœna. Certe enim obscœna portensa & abominanda dixere ueteres. Vt, Fusaque in obscœnum se uertere uina cruorem.* NEQVE *Polidæ, neque Melampodis &c.) Ven. Poletis. Ac sunt aliorum nomina quæ hoc loco referuntur nota. Sed Polletis, nescio cuius, etsi hoc*

uatis cuiusdam reperitur, sine caussa repositum, cum uerum sit Polyidi. Hic Corinthius fuit, de quo & Cic. in primo lib. de Diuinat. mentionem fecit ex Homero. Sed Homericus locus est. A.

EX OFFICIIS.

NON *putaui faciendum ut in nostrarum annotationum quasi particulas quasdam præfaremur sæpius. Neque enim illarum exilitas tanto apparatu digna: & quasi purpureum hunc pannum crebrius apponere putidiusculum mihi uisum. Hoc tamen loco me continere non potui quin cum reprehensoribus Ciceronis paululum quasi disceptarem, priusquam perscriberem quasi rationes nostras recognitionis optimi & pulcherrimi utilitateq́; præstantis libri. Quem non magnum illum quidem, sed uerè aureum, uel si quid pretiosius est, omnes studiosi honestatis & decoris, proprietatisq́; linguæ Latinæ amantes, nunquam deponere de manu, uel potius ad uerbum ediscere deberent. Quid enim quod ad laudem & decus pertineat, in hoc non est & traditum & explicatum? Quanta autem cum cura & exquisitione non sententiarum modò, uerum etiam uerborum, hæc patrem exposuisse putandum filio, quem eundem & rectè sentire, & eloquentiæ gloria excellere cuperet? In qua fundamentum quoddam esse non ignoraret proprium &, ut ita dicam, uernaculum usum sermonis, quam Latinitatem, ut in illa gente, appellauerunt. Sed quidam in hoc singulari, & perfecto omni bonitate libro, ingeniosus uideri uoluit: Ac cum in alia quædam inquisiuit, quæ præterire uisum, tum inscriptionem, & nomen libri corrigere non dubitauit. Multo enim rectius & plenius futurum fuisse censet, de officio, quàm de officijs: Quæ tamen inscriptio*

quin

quin autori placuisset, ne ipse quidem ignorauit. Atque ego hoc loco primum uehementer miror istorum hominum tam audacem inuerecundiam: qui nullo neq; respectu ac ueneratione diuinæ istius doctrinæ, nec pudore magistri omnis eruditionis & parentis linguæ Latinæ, *denique non conscientia mediocritatis suæ, reprimi se reflecti'ue patiantur, quo minus tanquã de cœlo modo delapsi, superbißimam censuram agant in ea, quæ ut qualia essent intelligere atq; perspicere modò possent, omnem operam illos dare æquum fuerat.* Nam *profectò* ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί, καὶ πάντα πάλιν στρέφεται, *iuxta* Tragœdiam, *Si nos qui nunc in summa etiam scientia,* Latinam *linguam quasi per nebulam aspeximus atque cognouimus, autorum & principum illius scripta emendare audemus.* Non *possum uerbis consequi neque exprimere quàm hoc absurdum uel ridiculum potius esse uideatur.* Nam *ut maximè uerè in hoc genere reprehendatur aliquid, quo tandem id pacto planum facere aut leuißimè refraganti probare poterimus? Coniecturas aliquis affert suas, mirificas scilicet has esse oportet & egregias, quippe quibus confirmata & stabilia, cum sua certitudine, tum consensu tot seculorum labefactentur. Multi putant à posterioribus, in quibusdam* Homerum *superatum ingenio & doctrina: sed ille tamen præ omnibus famam summæ excellentiæ retinuit atque conseruauit.* Nemo *enim sustinuit detrahere ac deminuere quicquam iudicio suo, de eo cuius eximia uirtus maximam gloriam artium bonarum obtinuisset. Maluitq; unusquisque sibiq; pulchrius duxit fateri se non assequi altitudinem quandam cœlestem doctrinæ atque sapientiæ, quàm uel tenuiß. significationem dare reprehensionis suæ, paucis quidem exceptis, qui & à Dijs & ab hominibus exagitati pœnas dedêre*

impiæ

impiæ temeritatis suæ. Idem possum de Cicerone dicere: Neminem qui sapiat, præsertim quod ad linguæ Latinæ usum proprietatemq; attineat, non libentius in huius scriptis ignorationem confiteri, quàm contra illum efferre atque ostentare intelligentiam, & immodicam atque huius perfectionem supergressam eruditionem suam. Ecce autem alius de Græcis docere uult Latinam linguam Ciceronem, Audiamus iam Δίγλωσσον. An non περὶ καθήκοντος Græci inquit, dicerent? fatemur. & Cicero ipse sic memorat. Iidem & περὶ τέλους. Ita planè. Cur ergo Cicero numerum mutauit? Cur igitur? Quia sciuit esse rectum, & ita fieri oportere. Rationem requirit aliquis? Eandem attulero quam mutati numeri in librorum de Rep. inscriptione quæ certè est Platonica πολιτειῶν. Doceant isti & Delphinos natare & uolare aquilas: puero propemodum credere nos par erat seculi illius, qui de matris sermone loqui didicisset, si hoc uel illud sic aliter'ue rectè dici affirmaret, & nos autori atque principi linguæ diffidimus. Sed quanta in hoc etiam incogitantia peculiariter reperitur? Quare enim obsecro, cum Latinè loqui uellet Cicero, de fine Græca interpretaretur? cum fines dici sciret extrema quædam & ultima in qua desinerent loca aliqua, & ultra quæ non abirent neque protenderentur, ut in agris & prouincijs. Ipse autem certè fines istos ita interpretatur, ut extremum & ultimum esse dicat. Sed & finem interdum uocat hoc extremum atque ultimum, quid enim prohiberet? Vt aruorum tamen, si controuersia inter uicinos nata sit, non finem sed fines uocare possumus, ita neque philosophorum dissensione constituta, ultima quædam aliter quàm finium nomine fuerunt appellanda. Quin & ipse Græcè ait Cic. περὶ τελῶν confecisse libros quinque in epistola ad Atti. quadam, &

omnino

omnino ita necesse fuit. Istos uerò cum tam duri sint & in iudicando immites; miror præteriisse animaduersionem in adiunctum illud, malorum. Sed fortasse fugit hoc intelligentiam illorum. Non quidem certe Græci malorum etiam finem fecerunt. Et Plato *manifestè definit* ἁπασῶν πράξεων ἀγαθὸν, *in* Gorgia. Hoc *si scissent, siue illis in mentem uenisset, quantas turbellas darent? Sed fortasse ad istud ipsum quoque defensio nobis non defuisset.* Nunc *uerò hac cura liberati ad officia pergamus. Sic igitur illi credidisse uidentur, officium oportuisse dici, ut liberalitatem aut iustitiam.* Hoc *enim aliter fieri non debeat. Sed nunquid similiter etiam uirtutem potius & uitium, quàm uirtutes & uitia? Si de multitudine quadam uerba fiant, non puto.* Quare *igitur officium rectius uideatur quàm officia, in hac copia, uarietate, distinctione officiorum?* Dicit *officium* Cicero *aliud esse perfectum, aliud medium: dicit nullam uitæ partem uacare officio posse.* Dicit *omnem disputationem illam suam de officio futuram.* Omnia *præclarè. Sed hæc omnia qua alia inscriptione uel debuit uel planè potuit designare nisi illa de officijs?* Verum *in his nimis diu immoramur, præsertim hoc indubitato & certo.* Nobis *à ueteribus discendum ut illorum lingua non perperam utamur, non quid loqui debuerint esse statuendum.* Teneamus *igitur hoc, uel saltem honoris caussa credamus, ea quæ* Cicero *in lingua* Latina *iudicio suo usurparit, eiusmodi esse, ut nihil melius neque præclarius fieri potuerit, nedum illa corrigenda à nostra infantia, aut emendanda uideantur.* Hoc *nobis & ad constantiam studiorum plurimum est profuturum, nec passurum ut uel imprudentes uel superbi esse uideamur.*

DE *officijs.*) *Officiorum alij. Sed hanc inscriptio-*

nem

nem Cicero ipse Attico scribens probauit & constituit, quare mutari non debet. HOC autem commune officium uocant.) Ita plerique libri. Dicitq; Cicero hoc medium ut paulò antè uocarat. Maturantius affirmat se in quodam spectatæ fidei libro reperisse interpositum, καθῆκον, ut lectio talis esset, Hoc autem commune officium καθῆκον uocant. Quod quis non uidet quanto expositionem planiorem reddat? Idq; nos annotauimus cum in Veneto quoq; exemplo Græcam uocem non reperissemus. καθῆκον autem primum nominasse Zeno traditur. CONDITIONE, sorte.) Veneti, Condictione. Sed non esse puto cur peculiare iuris ciuilis uerbum pro usitato & communi reponamus. VT non reddere dep.) Sanè sunt uerba confusiora hoc loco, & in Veneto exemplo paulò aliter distincta, ubi & Migrare pro negare legitur. Sed hoc Victorius annotauit. NEC promissa igitur seruanda sunt, his quibus promiseris inutilia si sint.) Satis commoda lectio uidetur, sed æquabilior & planior Veneta: Nec promissa igitur seruanda sunt, ea quæ sint ijs quibus promiseris inut. IN quibus, præclarè agitur, si sunt & cætera.) Alijs in libris planè deprauatus est hic locus. Vera autem lectio hæc eademq; in Venetis libris reperitur. & simile est in epistola ad Plancium, Agiturque præclarè si nosmetipsos regere possimus. Hoc enim dicit. cum ijs degi hominibus uitam communem: in quibus si modo simulacra uirtutis insint, præclarè agatur, id est, res optimè se habeat. Erasmo placuit, Quibuscum præclarè agitur, si insunt &c. Quod nec ipsum abhorret uel à linguæ Latinæ proprietate, uel usurpatione huius autoris. INFINITATE.) Veneti, Infinita, ut intelligenda sit societas. Sed

infinitatem cur repudiemus non uideo, cum loco positum uideatur uocabulum, & hoc sine dubio usus sit Cicero, in Acad.4. Is *enim infinitatem naturæ dixit esse, è qua omnia gignerentur, id est, τὸ τ̃ ςοιχείων ἄπορον, ut suprà annotauimus.* EX *quo ortum)* Alij Aptum. *ut alibi, Totus aptus ex sese.* Et Virgil. *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum. &* D.N.D. *id est, & omnes inter se aptæ colligatæq; uideantur.* ET *ita afficiendum.)* Veneti, Efficiendum: *uel astipulantibus codicibus ueteribus, uel quòd ijs qui edidere, corpus affici fortasse minus rectè dici uideretur.* Quod *ut nondum possim concedere, ita neque emendationem improbare ausim.* HANC *primam habet uiam.)* Ven. Vim: *idq; non possum reijcere, & inde hoc facilè potuisse traduci neminem fugit.* NEC *non* Xenocratem *quidem seueriss. philosophorum, ob eamq; rem ipsam & magnum & clarum fuisse.)* Veneti *ita,* Nec Xenocratem *quidem seuer.* Phil. *ob eam rem ipsam magnum & clarum fuisse. Sed ueram lectionem esse apparet hanc,* Ne Xenocratem *quidem seueriss.* Philosop. *ob eamq; rem ipsam &c.* Nam *& ea quæ suprà commemorauit de quibusdam qui comitate hoc essent consecuti, populares ut uiderentur, & particula* Quidem, *&* Xenocratis *historia, hanc constituunt.* Hoc *enim dicit,* Ne *seueriss. quidem philosophorum* Xenocratem, *comitatem sermonis habuisse, & in grauitate maxima præstitisse dignitate: fuit enim tanta huius autoritas ut, quod nulli unquam fuisset tributum, testimonium acciperetur ipsius quod iniuratus dixisset. Sed & potentiss. reges atque duces Græciæ hunc coluere.* NAMQVE *Herculem* Prodicus *dicit.)* Hæc *quidem plana sunt & euidentia. Ait enim* Xenophon *in secundo dictorum memorabilium Socratis, hoc exposuisse* Prodi

Prodicum in scripto quodam suo de Hercule composito. Huic ferunt scripto nomen indidisse autorem ὧραις. Sed Veneti & alij uetustiores ita, Nanq; Herculem Prodicum dicunt, ut est apud Xenoph. id est, τὸ προδίκειον, quem Prodicus, ita ut Cicero memorat ex Xenophonte, introduxisset deliberantem de uia uirtutis & uoluptatis.

M. TVLLII CIC. OFFIC. LIB. II.

SVPRA *monuimus de officijs inscriptionem ipsius Ciceronis autoritate comprobari: locus autem est lib. 16. epistolarum ad Attic. Non dubito quin τὸ καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud. Sed inscriptio plenior de officijs.*

QVI *semper aliquid inquirunt.) Alij anquirunt, de quo paulò pòst nonnihil disseremus.* SIVE *ratio constantiæ uirtutisq; quæritur.) Veneti, Ducitur. Et sanè rationem ducere uel sui uel alterius, itemq; rerum suarum alienarum'ue, Ciceronianum esse constat.* ALIIS *de rebus præcipere.) Alij ferè libri habent Differere: neque satis intelligo utrum alteri præponendum, aut quare hoc uel illud potius retinendum esse uideatur.* PROBABILIA, *contrà alia improbabilia.) Veneti exempli & aliorum simplicior, ut uidetur, lectio, Probabilia, alia non probabilia esse. Sicut & paulò pòst, Vt honestatem ab utilitate secerneret, & const. Alij enim, ab utilitate secernes const.*

PARTIM *animata.) hoc quidem non improbatur mihi. Nam & alibi ita uocat id quod anima sit præditum, id est, suo & integriore quodam motu cieatur, non impellatur ui externa. Sed Veneti, Animalia, eodem quidem intellectu.* SINE *quibus uita hominis omnino nulla esse potuisset.) Veneti onuscre, hominis. Et uidetur sanè hoc inculcatum. Sed & ijdem mox pro ægris, ægritudini, paruo uel nullo potius discrimine ueritatis.*

PER *quas bene beateq; uiuitur.*) *In plerisque maxime uetustioribus exemplis hæc uerba non leguntur. Et in autoris scriptum hanc etiam explicationem irrepsisse apparet. Cuiusmodi enim hæ res sunt quas commemorauit, constitutio legum & morum, Iuris descriptio, disciplinæ sanctitas? Eiusmodi per quas bene beateq; uiuitur.* QVORVM *haud ferè quisquam interitum similem.*) *Veneti, talem interitum. Sed hæc eiusmodi sunt ut statuere difficile sit utrum de altero factum esse uideatur.* NON *solum singulorum ciuium bona publicaret, sed uniuersas prouincias regionesq;, uno calamitatis iure comprehenderet.*) *Veneti, solum, omiserunt. Sed similes tamen locutiones crebrò reperias. Vt Virgilianum hoc: Nec calamis solum æquiparas, sed uoce magistrum. id est, sed etiam uoce. Sed iure calamitatis, quis est? placet igitur Veneta lectio, genere calamitatis.* QVAM P. *Sylla.*) *Falsò mutarunt P. in L. Non autem est obscurum hasta posita prædam ex hostibus captam uenire solitam, quod & de ijs quæ paulò superius de Sylla dicta sunt potest intelligi. Ausum hunc esse dicere hasta posita cum bona in foro uenderet, & bonorum uirorum & locupletum, certè ciuium, prædam se suam uendere. Huic igitur rei præfuit P. Sylla, idemq; postea similem operam Cæsari nauauit: Vt innuitur in epistola quadam ad Dolabellam. Te tamen hoc scire uolo uehementer populum solicitum fuisse de P. Syllæ morte antę quàm certum scierit. Nunc quærere desierunt quomodo perierit, satis putant se scire quod sciunt. Ego, cætera qui animo æquo fero, unum uereor ne hasta Cæsaris refrixerit. Eiusdem & in 15. ad Caßium meminit, ubi in editis exemplis perperā D. Syllam scriptum legitur.*

HAEC *est enim una res prorsus, ut non differat mul-*

tum, inter summos.) Veneti, In *summos. propemodum ut alibi dixit, in uulgus ignotus, id est, apud uulgus. de hoc igitur cogitabimus.* QVI *nec sibi nec alteri prosunt.*) Veneti sic, *Qui nec sibi nec alteri, ut dicitur, elegante eclipsi, & prouerbio conuenienter, ut,* Hoc mihi *certum est ab honestiss. sententia digitum nusquam. &,* Culpa *enim illa, bis ad eundem, uulgari reprehensa prouerbio est.*

MIRIFICA *quædam res multitudini uidetur.*) Veneti, *Mirifica quædam multitudini. Sed Mirifica res, eleganter græcissat, ut* τυραννὶς χρῆμα σφαλερόν Hero. *Thalia. Incerta seu fallax res tyrannis.* IVSTITIAE *seruandæ.*) Ven. *fruendæ. fruuntur autem certè iustitia à quibus iniuriæ propulsantur. Sed & seruatur iustitia, cum ius defenditur. hæc igitur relinquamus. Sed mox, pro eo quod nostri libri,* QVI *cum prohiberet iniuria tenuiores.*) *cum* Veneti *habeant, Qui cum prohiberet iniuriam tenuioris. Quærendum utrum alteri præferendum uideatur. Atq; illud quidem nequaquam poterit reijci, sed hoc tamen nescio quomodo elegantius dictum uidetur.* Vt *& hæc* Virg. *Dij prohibete minas, & prohibe infandos à nauibus ignes.* VT *de* Demosthene *accepimus.*) Veneti, Vt Demosthenem *accepimus. & mox,* Optiam *impræmeditatum.* In Ven. *Impræmeditatum non reperitur.* Et *sanè cùm hoc inculcatum, tum illud temerè mutatum uidetur.* Præ*sertim cum alijs in exemplis alia sit scriptura.*

QVAE *te malum, inquit, ratio.*) Alij *multi libri ita, Quod te malum inquit rationis, ut sanè quærendum utrum in aliud mutatum fuerit.* Nam, *malum, indignationis est uox, id est, particula* σχετλιαστική, *ut Quid malum, bone uir mihi narras? Sed & malum rationis, malam rationem certè possumus accipere, ut seruitutis malum.*

AVT

AVT *aes alienum suscipiunt amicorum caussa.*) Veneti, caussa, non habent. Estq; hoc uerbo omisso elegantior elocutio, etiam sensus conuenientior. Hoc enim laudare nunc uidetur Cicero, si in se transferant debita amicorum; non si propter illos contrahant. IPSAQVE *illa delinitio multitudinis ad breue exiguumq; sit tempus duratura, eaq; à leuiß. quoque animo.*) Veneti & alij libri ita, Ipsaq; illa delectatio multitudinis, ad breue exiguumq; sit tempus: eaq; à leuißimo quoque, in quo tamen &c. In Venetis tamen etiam uerbum, Sit, omissum. Quod sane nequaquam possum improbare, cum hæ ἐκλείψεις plane Ciceronianæ sint. Sed intelligendum ita fuerit uerbum, quod sic nunc de tempore poneretur, ut suprà, perturbatio animi plerunq; breuis est, & ad tempus. Et alibi de loco, ad mare milites essent. Nam & ibi perturbatio ad tempus, & hic milites ad mare manere significauit.

EOQVE *studiosius.*) Veneti, studiosißimè. Et fieri certè potest, ut hoc mutarit in illud aliquis, qui non putaret ad hāc particulā Eò, respōdere illā, Quod cū certiß. hoc sit.

COMMVNE *perfugium.*) Ven. Profugium sed: perfugium mihi probatur. Nam hoc uocabulū tuta quædā loca fugæ significat, ut in ueteri epigrammate Catulli, ut opinor:

Aufugit mi animus: credo, ut solet, ad Theotimum
Deuenit: sic est, perfugium illud habet.

Sed Profugium magis fugæ spatium notat, & Profugi qui in fuga essent: ut,

Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit
Litora. hoc est fugiens, seu exul, & φυγάς. Itaq; & in fine primi libri Tusc. quæst. haud dubiè legendum, Portum potius paratum nobis & perfugium putemus.

EAMQVE *iniuriam in deterrenda liberalitate.*)

In deterenda, legendum. Dicit enim hoc, Alienos etiam existimare, sibi iniuriam fieri, si obliuione liberalitas deteratur, id est, diminuatur. Ita enim prolixæ & beneficæ naturæ quasi reprimi solent, & in minus multos sese proferre. Verbo Deterendi similiter & Horatius usus,

Laudes egregias Cæsaris & tui
Culpa deterere ingenij.

CERTISQVE operis & officijs erit quod uiolatum est compensandum.) Veneti, ut uidetur, rectius: Certisq; operis & officijs erit quod uiolatum est pensandum. Etsi Compensandi uerbo & alibi usus Cicero, ut in oratore: Paucitatem enim pedum grauitatis suæ tarditate compensat. Quod non inscite imitatus Valerius Max. alicubi sententiam Homericam sic extulit, ut Deos tarditatem diceret supplicij grauitate compensare. GRATIAM autem & qui reddiderit habere, & qui habeat reddidisse.) Veneti & alij, Retulerit, Retulisse: nonnulli Reddiderit, Retulisse. Est autem & pro Plancio usus hac sententia Cicero: quo de loco Gellius argutatur, & in oratione ad Quirites post Reditum suum. HANC enim ob caussam maximam, ut sua tuerentur, Respub. ciuitatesq; constitutæ sunt.) Veneti, Tenerentur, eleganti significatione & usu pronominis: id est, ut quæ propria cuiusque essent teneri possent. Sicut paulò pòst, Vt suum quisque teneat. & de Arus. responsis; Et sua concio risi hominem. & pro Cn. Plancio, Cuius non extet in me suum meritum.

NE illi quidem multa secula expectanda fuerunt: modò enim hoc malum &c.) Ven. Nec illi multa secula. Alij: Nec illi quidem multa. Ac modò, quidem paulò antè, significat. Terent. Omnem rem modò seni quo pacto se haberet, enarramus ordine. Vel etiam, iam. Idem: Aduenis modò?

Et inter

Et inter pacem Caudinam ac Ciceronis consulatum non pauciores anni CCLX. intercedere reperiuntur: ut hanc lectionem reijcere, præsertim cum & in alijs quibusdam libris reperiatur, non ausim. PERITVRAM, uidetur non solum &c.) Alij: id uidetur: Principium autem oraculi à Plutarcho exponitur, ἁ φιλοχρηματία σπάρταν ὀλεῖ.

PROPTER imbecillitatem.) Sic ferè in omnibus exemplis, quæ nobis uidere contigit: & aptè hoc uerbo nunc usus uidetur. In Venetis tamen, Humanitatem, legitur.

DVO præcepta censet esse à Panætio prætermissa.) Veneti & alij ita: Duo præterita censet esse à Panætio. quæ certè aptius cum sequentibus cohærent.

EX LIBRO III.

BREVITER esse tractatum.) Ven. Tactum: & rectè quidem quemadmodum uidetur. ut & alibi, Quod à Crasso tactum est. IPSVM illud quidem perfectum honestum nullo modo esse potest, sed similitudines honesti esse possunt.) In Venetis, Esse potest, non legitur: neque ab autore additum uidetur. IN quo media officia comparantur. Sunt enim hæ actiones laudabiles quædam, quæ comparatione ipsarum inter sese magis eminent, ut mutare uerbum (quidam enim scripsere compareant) nihil necesse fuisse uideatur. QVOD autem in poëm.) Suspicor legendum, Quod item in poëmatib. Certè ita totus locus planus fuerit. ATQVE hoc multo magis exigit.) Ven. Efficit. utrunq; aliquis uerũ putare poßit. DISSOLVETVR omnis humana consociatio.) Sic quidem pleriq; omnes libri, & uerbum esse Ciceronianum constat: Veneti tamen, Consortio. Et ita Nonius Marc. legit. NISI alius casus.) Ven. Nisi aliqui casus. Quod mihi nequaquam improbatur. Est autem Aliqui, pro aliquis: ut Qui, pro Quis, plurimum

ueteres usurparunt. CERTE *in eadem re utili, turpitudo &c.*) Veneti, In eadem re utili & turpitudo. Sane quod aliqui scripsere planum, utilitas & turpitudo. SED *alteri surripere ius non est.*) Veneti Diripere: quod non possum reijcere: Neq; enim me tam in hoc uerbo fortasse insitatior casus nominis additus, quàm uiolentiæ significatio mouet. VT *perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet.*) Ven. Et ut orandæ liti tempus, elegantiore ut uidetur constructione uerborum. POSTERA *die.*) Alij, Postridie: quorum utrunque quidem interpretatur alterum. Etsi Pridie & Postridie, uel suum diem expresse adiungi sibi, uel ad indicatum referri uolunt, ut sane, si eligere liceat, Posteram diem, malim: præsertim cum & in paulò antiquiorib. exemplis ita legatur.

ANTE *oculos.*) Ante hortulos, consentientibus omnibus ferè exemplis. Sed mox: Pisces proijciebantur. In Ven. Abijciebantur, sane haud deterius, si non rectius. TVBERONI *differentem.*) Tuberoni dicere, in omnibus ferè exempl. idq; reponendum. AD *arbitrum illum adegit.*) Alij, Arbitrum illum adegit: Quid sibi de ea, idq; uerum. Verba autem sunt iuris ciuilis, quæ requirentur de Topicis. LEGES *quatenus manu tenere res possunt.*) In Ven. Res, omissum: & rectè quidem, nisi admodum fallor. OMNIBVS *uicis statuæ factæ sunt.*) Venetum exempl. Factæ sunt, non habet: & rectè quidem. Nam & figura sermonis suspicione non caret, & quod sequitur, ad eas thus & cerei, illam ἔκλειψιν uidetur cōprobare. GRAECOS *uersus Euripidis de Phœnissis.*) Euripidis, in Ven. omissum. VTRVM *igitur utilius &c.*) Hic totus locus, paucis uerbis mutatis, tota mutata forma sermonis, ita legitur: Visum igitur utilius

esse

esse Fabritio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, uel Senatui nostro, qui nunquam utilitatem à dignitate seiunxit, armis cum hoste pugnare, non uenenis.

SED *tamen ad extremum utilitate non putat officium dirigi magis, quàm humanitate.) Alij negationem omisere. Vene. sic, Vtilitate, ut putat, officium dirigit.* HAEC *sunt quasi controuersiæ in iure Stoic.) Vene. Controuersa iura Stoicorum. quod sanè, præsertim alijs etiam adstipulantibus exemplis, retinendum uidetur.* SVBLATVS *est, atq; insanus antequam.) Alij sublatus est insanus, atq; qua const. Alij rectius ita: Sublatus est, atq; is antequam const.* QVAE *censes?) Alij, Quid cens. Sed hæc aliorum uera lectio, Quem censes. Nam per se hoc ponitur, non adiungitur ad fœminina sequentia nomina.* AD *astringendā uitam.) Immo ut alij, Fidem. Et mox, Quorum erunt captiui. rectum illud, Quorum erant potiti Pœni.*

DE SENECTVTE.

HVNC *libellum & Vene. & alij codices collocatum habent post sequentem De amicitia, ut sit ordine posterior, cum tamen prior elaboratione fuerit, ut apparet de proœmio Lælij.* ECQVID *erit pretij.) Non uera scriptura, & alibi etiam aliud uersus Enniani initium reperitur. Itaque omnino sic ille legendus uidetur: Et qua deprimere. Ecquid erit præmij: deficiente, ut apparet, fine.*

SERVNT *arbores.) Alij, Serit. Atque ita sanè in prima Tuscul. ubi eodem testimonio Statij utitur, legimus.*

SED *etiam posteris tradere. Vene. Prodere. Quo quidem sensu & Virg. dixit, Genus alto à sanguine Teucri.*

Proderet, id est, propagaret ad posteritatem. QVI *cum septem annis antequam natus sum fabulam docuisset, Cethego & Tuditano COSS.) Ven. VI. Annis. Sed con-*

sulis prioris nomen uerum non est: reponetur igitur, Centone pro Cethego: hoc enim cognomentum fuit C. Clodio Caeci F. Qui cum esset COS. *cum M. Tuditano, tum primum docuisse fabulas Liuium, anno antequam natus esset Ennius, dicitur in Bruto.* EFFLARENT *è floribus.) Alij, Efflarentur. Sanè illud retineri potest, ut sit simile his, praecipitante repub. & suppeditare, &, Tum prora auertit. ingeminant curae.* AVTORITATEM *afferre.) Ven. Arripere. id quod certe accommodatum est ad id quod dixerat repente, ut in uerbo quoq; nulla sit morae significatio.* SED *cum essem in hoc corpore.) Alij, Sed eum esse in hoc corpore. quod sanè melius uidetur. Discedunt autem Latina à Graecis longius, ut aut liberiorem propè iusto in conuertendo Ciceronem fuisse, aut haec habuisse in suo Xenophonte scripta aliter atque in nostro sint, confitendum esse uideatur. Sic enim Graeca in* VIII. παιδείας, οὐδὲ γὰρ νῦν τοι τήν γ' ἐμὴν ψυχὴν ἑωρᾶτε, ἀλλ' οἷς διεπράττετο τούτοις αὐτὴν ὡς οὖσαν κατεφωρᾶτε. *Iam illa, Eundem igitur esse creditote, etiamsi nullum uidebitis, in nostris libris Xenophontis, prorsum non leguntur.* PILAM *retorserit.) Haud scio an uera sit haec lectio: Nam & contrario sensu, Pilam tenere, in Oratione contra Pisonem dixit. Sed alij libri habent, Peliam recoxerit. Quod ipsum quidem cum propter fabulam, tum quia eadem forma Plautus usus fuerit, uidetur eruditius. locus autem Plauti est in Pseudolo: Item ut Medea Peliam concoxit senem.*

DE AMICITIA.

QVINTVS *Mutius Augur Scaeuola.) Ven. Scaeuola, non habent. Et sanè, ut multa, de explicatiuncula seu annotatiuncula alicuius in scriptum autoris irrepsisse uerisimile*

mile est. CVM *sæpe multa narraret.*) Hoc uerbum *sine causa aliqui mutarunt, & fecerunt,* Narrare: *cùm tamen hæc loquendi figura* Ciceroni *non sit inusitata: de qua re alibi disputauimus.* In Venetis *libris omissum est, sanè non ineleganti intellectu, ut extrinsecus assumatur, ut & mox: Sunt ista uera Læli, Sunt ista Læli. in Ven. scribitur: progreßio autem hæc est ad sequentia, ut in* δραματικοῖς *fieri solet, iuxta hoc:* Audiui Archilis, iandudum Lesbiam adduci iubes, & Ita, ut dixi, Sostrata facito. VT *prius introieram in uitam.*) Veneti *libri,* In uitam, *non habent.* Et *potest sanè inculcatum hoc uideri, cum intelligi elegantius uideatur, figura orationis sylleptica.* VT *ijs præponatur.*) *falsò. Alij legere* Proponatur, *sed nos* Ven. *scriptura assentimur,* Vt ijs id ponatur. θέσεις *enim significat, id est, communes quosdam locos, qui disputatione explicarentur.* VT *quidam indocti.*) *Forma literæ* M. *repetita uidetur, & esse uerius quod in* Ven. *legitur,* Quidam docti. *Nam hæc certè de uirtute magnifica uerba à doctis, id est, ijs qui* σοφοὶ *uocantur, fieri solita scimus.*

QVIS *potest esse uita uitalis.*) *Haud dubiè uerum quod in* Vene. *est,* Cui potest esse uita uitalis, *id quod & quæ sequuntur planè demonstrant.* ITAQVE *non aqua, non igni, non aëre, ut aiunt, &c.*) *Non aëre in plerisq; omissum est. Atq; haud scio an non germana hæc sit accesio, præsertim cùm &* Græci *in hoc prouerbio aquæ & ignis tantummodo mentionem fecerint. Sic enim* Plutarchus *in libello, ubi tradit discrimen inter amicum & assentatorem,* καθὸ δὴ καὶ λέγεται πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερός ἐστι. POTISSIME *dixisse.*) Non *potißimè sed potißimum pro maximè dixerunt.* Ideoque, *sed & alijs de causis,* Veneta *lectio mihi probatur,* Potuisse

dicere. TV *magis id diceres.*) Alibi, Tum *magis: idq́ magis placet. Simile autem illi,* Magis*, si magis noris, putes. Sed ut, hoc quoq́; ὁδῷ παρέργως indicemus, adduxit ex libris de repub. horum locorum aliquid* August. *lib.* II. *cap.* XXI. *de ciuitate Dei.* QVAM *ab indigentia.*) In Ven. Imbecillitate. *Estq́; hoc uocabulum: ut facile apparet, planè repositum pro illo, non emendatione ex illo factum.* Et χρείας *tamen uerbo* Epicurus *est de amicitia loquens usus, statuit enim* τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας γίνεσθαι. χρεία *uerò habet* τὸ ἐνδείας*, id est, indigentiæ significationem.* NAM *uel ut non idem expediret utriq;, incidere sæpe, uel ut de* Repub. *non idem sentirent.*) Multò Ven. *libri rectius,* Vt *non idem expediret utriq;, incidere sæpe, uel ut non idem sentiretur.* PRAETEXTA & *toga.*) Hæc *quidem scriptura uera esse non uidetur.* In Vene. *rectè, ut puto, legitur,* Prætexta *toga.* Nam *hæc erat puerilis uestis, quàm confirmati ætate deponere & sumere uirilem seu puram togam solebant.* Aliqui *interposuere,* Sumpta*: ut tale fieret,* Sæpe *unà cum prætexta, sumpta toga, sed* Ven. *lectionem ueram omnino esse iudico.* VT *ab amicis in magna re aliqua in* Rempub. *peccantibus.*) Vene. *exempli & hoc loco probatur mihi lectio. Sic enim in illo,* In *magnam aliquam rem peccantibus. iuxta hoc* Terentianum, Verum *in istam partem potius peccato tamen. & sensus in his uerbis plenior inest.* DIVITIIS *affluentes.*) Ven. Delitijs. Quod *sicui non displiceat, ut ne nobis quidem, is sciet intelligendum, hoc dici de* Epicureis ἡδονικοῖς*, qui propter utilitatem amicitiam suscipi statuerent.* VESTES *gloriam.*) Alij, Vestes *egregias.* Ven. Vestem *egregiam, id quod uerum esse puto.* Nam *quis hic gloriæ locus?* Vestem *autem egregiam dixit, ut alibi stragulam.*

gulam. Atque omnino singularis numerus rectior est.

INIMICIOREM.) *Alij, Inimicitiorem: sed illam formam ratio grammatica defendit. Ad Chilonem hoc Lacedæmonium dictum alij retulere. De qua quidem sententia expreßi uersus Sophoclei in Aiace:*

Ἐγὼ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως, ὅτι
Ὅ γ' ἐχθρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἔς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα.

Atque fuit, ut iam intelligo, talis mihi
Inimicitia agitanda rursum, in gratiam ut
Redire possem. Ergo boni tantum uolo
Dehinc facere amico, semper hocce ut cogitem,
Haud sempiternam beneuolentiam fore.

Sed & apud Demosthenem in Oratione contra Aristocratem dictum illud ueluti explicari uidetur, ut ad uitæ cum præsidium tum humanitatem pertinere credendum sit.

AVT *de capite agatur.*) *Alij, & quidem rectè, Aut caput agatur: ut pro lege Manilia: Agitur enim salus sociorum atq; amicorum, pro qua multa maiores nostri, & grauia bella gesserunt. Aguntur certiß.* PO. RO. *uectigalia, &c. Et Terent. Non capitis eius res agitur, sed pecuniæ.* SVSTINERE *ut cursum.*) *Veneti currum, sed & illud non possum reijcere. Mox uerò, aliqua parte periclitatis moribus, alij probatis. Sed illud rectius uidetur propter præceptum modij salis, quem absumendum prius quàm contrahatur amicitia sapientes ueteres monuerunt.*

FACILE *inuentus.*) *Veneti Inuentu, sine dubio rectè, Et mox. Quanquam Ennius rectè inquit. in plerisque libris Inquit non legitur, eleganti quidem deficientia,*

cientia. APERTE *enim uel odisse, magis ingenuum est, quàm fronte occultare sententiam.*) Deinde, Non *solum ab aliquo oblatas criminationes depellere*. In Ven. *exemplo, legitur,* Ingenui *est, & Allatas criminationes repellere, sanè non deterius, ut existimo.* ET *alterum acquirit: & postea,* Vt *non acquirat aliquem.*) Ven. *libri habent Anquirit & Anquirat.* Atque *similiter plerisq; alijs in locis, ubi,* Ad, *uel* In *præpositiones uerbo illi anteponuntur in euulgatis exemplis scriptorum Ciceronis: de hoc igitur nunc semel dicere uisum.* Ac *sanè utroque isto in loco Acquirendi, id est, comparandi & adipiscendi significatio non admodum congruere uidetur.* In *alijs tamen sæpe locis,* In*quirendi sæpe uerbum aptè poni posset. Anquirendi quidem origo & uis manifesta est: neque obstare huius usurpationi quicquam animaduertere possum, nisi opinionem quandam antiquitatis nimiæ. Sed nos de hac iudicare atq; decidere, fortasse non ferenda audacia: præsertim cum forma ab omni ruditate absit. Ego tamen suum cuiq; relinquere arbitrium, etiam hac de re uolo liberum: satisq; habeo indicasse quid quandam dubitationem hac in parte commouisset, & ad probandam* Ven. *scripturam nonnihil impulisset animum meum.*

PARADOXA.

STOICE *solet nullis oratorijs ornamentis adhibitis.*) Ita *ferè omnes libri, sed in* Vene. Nullis, *omissum facit ut de huius loci ueritate quærendum diligentius esse uideatur:* Atque *ego quidem* Venetæ *lectioni assentior.* Nam *& alibi eloquentiæ laudem Catoni tribuit* Cicero, Et *ordiens, clarè hoc dixit, dicendo Catonem consecutum ut Stoica etiam populo probabilia uiderentur.* HOMINES *his rebus circunfluentes.*) Vene. *circunfluentibus.*

Sed

Sed illud, quamuis hoc non reijciendum alicui fortè uideatur, retinendum puto: nam & similiter Att. II. *Circunfluens gloria, legitur.* QVAE *uerbis subtilius quàm factis disput.)Planè aliorum librorum scripturam probo, Quæ uerbis subtilius quàm satis est disput.* QVID *autem Numa Pompilius, &c.)* Veneti *ita, Quid autem à Numa Pompilio? minus'ne gratas Dijs immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quàm filicatas aliorum pateras arbitramur? Quæ nobis lectio admodum probatur.* Nam & Sext. Pomp. *filicatam pateram dicit esse eam quæ ad herbæ filicis speciem cælata sit. Quales & nunc cælaturas licet cernere, quasi tenuioribus & serratis folijs, serie quadam de cauliculo excurrentibus, & labra fundosq; poculorum includentibus. Sed hoc &* Victorius *annotauit.* TVAE *libidines te torquent.)* In Venc. *Torquentur, mutata diathesi uerbi: & quidem multis sunt communiter usi ueteres, ut* Punior, *quemadmodum in Officijs, qui punitur, aut uerbis castigat, & alijs quorum non pauca annotauit* Marcellus. II.

ὍΤΙ ἴσα τὰ ἁμαρτήματα.) In Venetis additur, καὶ κατηγορήματα. Et *differuere quidem de his quoq; Stoici, ita ut exæquare inter se uiderentur. Hæc autem sunt quæ quocunque modo de aliqua re dicuntur, ut pronuntiatum perficiatur. Quamuis igitur illa uaria sint, tamen pari ratione omnia sententiam aliquam absoluunt.* Vt *uidet, sentit, ambulat: loqui, nauigare in pelago Siculo. Cicero tamen hoc loco de his nihil differuit.* TANQVAM *transire lineas,)* Transilire Ven. *Lineas autem dicit, quibus in certaminibus celeritatis spatia definirentur* τῶν ἀφέσεων, *ut in epistola ad* Luceium, *Fines transire uerecundiæ. Recti igitur & honesti lineam qui transiuit, quamuis parum longè procurrerit,* III.

rerit,non tamen peccauit, secus quàm in hoc spatio strenuissimus, ut Stoici docere uoluerunt. QVAE *quando ultro alteri accessit,id fit propensius,si utrobiq;,&c.)* Alij sic,*Quæ quando alteri accessit, & si utrique*. Vene. *exemplum ita,Quæ cum utro accessit,& utroq;, ut sit ad*
IIII. *utrum & ad utrunque.* OTI πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται.)Dixere hoc quidem Stoici & non idem putatur uulgo μωρὸν εἶναι & μαινόμενον,id est,stultũ esse,& furiosum.Sed elegantior Veneta præscriptio uidetur, ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται:Qui sapiens non sit cum furere. REBVS *abdicam necess.)* Veneti & alij ferè libri,Addicam: idq; saltem illo altero uerius uidetur.Adduci autem rebus necessarijs fortasse eum sentit, cui dati curatores suppeditarent necessaria ad uitam degendam,cuiq; adempta esset bonorum administratio. DIVINAM *animi mei constantiam,meas curas,uigilias, consilia, quibus respub. inuicta stat.)* Ven. Meis curis, uigilijs, consilijs, stare te inuitiss. Rempub.id est, hanc laudem conseruatæ à me Reip. *Quæ ut non improbo,ita non ausim affirmare pro illis reponenda esse.* Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ, ἐλεύθεροι, πάντες δὲ οἱ
V. μωροὶ δοῦλοι.In Venetis,καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος. SVIS *ea cuiq; fingitur moribus.)* Ita in Ven. exemplis:alij, *Suis cuiusq; fingitur*.Sententia est Plautina in Trinumo,*Sapiens quidem ipse fingit fortunam sibi: sed Cic.ut apparet alterius Poëtæ loco usus est.* AC TV *pari stult.)* In Ven. emendatus(nihil enim dubito)locus est,*Topiarij stultitiæ suæ*. Dicit enim non infimæ sortis, istos qui uulgò beati putentur, esse seruos, sed quasi primarios quosdam seruos,seruos tamen stultitiæ suæ, ut atrienses, qui negotia tractabant dominorum, quemadmodum dicit Pseudolus, condus, promus, procurator pæni. & mox: *Qui res*

ratio

rationesq; heri curo, argentum accepto, & cui debet dato. Topiarios autem, qui topia curarent, delitias quasdam & amoenitates locorum. de quibus plura Victorius. ASSIDET, miratur.) Vene. rectius, ut puto, Muneratur. Nam mißis muneribus, ut notum est, hæreditatum insidiatores conciliare locupletes, & solebant quondam, & nunc solent.

DE FINIBUS.

CHAERE Tite huic hostis mi Albutius, huic inimicus.) Hanc lectionem etsi ueram iudicabam, nolui tamen non & Venetam indicare: χαῖρε. hinc hostis Muti Albutius. HVNC naturalem esse omnium corporum motum.) Omnium ponderum motum legendum puto.

APVD Vesuuium.) Ven. Veserim. Vtrunq; recte potest legi. Nam ita Liuius lib. VIII. de hoc prælio, Pugnatum est haud procul radicibus Vesuuij montis, quà uia ad Veserim ferebat. VOLVPTATEM & per se expetendam, & dolorem ipsum per se esse fugiendum.) In Ven. hæc uerba prorsus non leguntur: & de marginali annotatione in ipsum autoris scriptum inuasisse apparet.

VT ita ruant, itaq; turbentur.) Ven. turbent: ut Mostellaria, Pergam turbare porrò. id est, turbas dare. CVRA & angore, cum & mortem contemnit.) Sane in his uerbis mendum inesse propè certum est. Et lectio Ven. mihi nequaquam displicet, Et rigore animi etiam mortem contemnit. IN physicis quidem cum plurimum poßint.) Verum esse puto, In physicis quidem quàmplurimum posui. Nam de physicis, id est, rerum causis & naturis explicatis, ostendere uoluit Epicurus ea quæ hoc etiam loco copiosè memorantur: itaq; illum in his plurimum operæ posuisse ait. NIHIL asperum nisi dolorem.) Veneti habent

habent libri, eleganti ἀντιθέτῳ, *Improſperum.* IVS *& ſacculos abſtulerit.) Quid aliud facerem nihil erat hoc loco quàm ut penè inemendabilia hæc, ut nunc quidem ſe habent ſtudiorum noſtrorum res, eſſe annotarem.* NOS *Varrones ſtupemus.)* Barones *Veneti. De quo uocabulo in annotationibus ſuis ad epiſtolas* Ciceronis P. *Victorius copiosè diſſeruit.* VESICAE *& uiſcerum.)* In exem*plo epiſtolæ, huius expoſitio à* Laërtio *(ſcripta quidem, ut ille uult, non ad* Hermachum*, ſed ad* Idomenea*) legitur* δυσεντερικὰ πάθη, *in quo uerbo uiſcerum certe eſt ſignificatio. Veneti tamen torminum habent, & mox.*

VOLVNTATE *ab adoleſcentia ſuſcepta.)* In Venetis, *Ab aduleſcentulo: quod cum* Græcis *conſentit: illa enim ſic habent,* οὐδὲ ἀξίως δὲ ἐκ μειρακίου πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν ἐπιμελοῦς τῶν παιδῶν μητροδώρου. Intelligen*dum autem* διαθέσεως, *ſimile'ue aliquid.* SVAVIS *eſt præteritorum malorum memoria.)* Alij *laborum.* Sed *prior lectio ad* Græca *reſpondet.* Eſt *enim uerſus in* Oreſte:

ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν ὡς εἶ γλυκύ.

Lib. III. DVLCEDINEM *corporis, & utilitatem ex eaue natam.)* Verum *omnino uidetur,* Dulcedinem *corporis titillantem, ex eaue natam.* NEQVE *affirmare quo meliores ſumus.)* Legendum *potius* Affirmare: *quod uerbum & quid ſignificet apparet, & alibi legimus conformare, informareq́;, ut alienum illud non debeat uideri.*

A' SE *ita natura dil.)* Alij, *Aſcita.* Et *quidem apparet facili leuiq́; momento accidere potuiſſe ut alterutra ſcriptio in archetypo reperta ita mutaretur à librario: utra tamen retinenda potius eſſe uideatur, non auſim pronuntiare.* QVAE *autem æſtimanda eſſent.)* Veneti, Quæq́;: *ut ſuprà quoq́;, ubi alij libri,* Quæcunq́; *opportuna*

tuna dicuntur, Veneti, Quæq;. Mihi uenit in mentem recte legi utroque in loco posse Quæq;. QVI *negaret iniustum fore.) Alij Migraret. & hoc Victorius probat, similiterq; legit in primo de officijs: Quæq; pertinent ad ueritatem & ad fidem, ea migrare interdum, & non seruare sit iustum.* IMMO *isto quidem, inquam, loco, quicquid postulo, responde arbitratu meo.) Veneti sensu, ut uidetur, concinniore, ita: Immo istud quidem, inquam, quo loco, nisi iniquum postulo, responde arbitratu meo. ut Cicero, quo quisq; loco uisum sibi fuerit, eo sibi illud explicari à Catone uelit.* NON *ponere in bonis potius quàm eijcere.) Corruptum esse hunc locum apparet, atque haud scio an in Venetis restitutus sit. Ibi enim ita, Reliquorumq; sensuum ponere in bonis, potius quàm dicerent nihil omnino, &c. Nam ἀγωνικῶς hæc omnia Cicero: Scilicet stultos fuisse ueteres, qui hæc bona potius quàm media, id est, ἀδιάφορα appellarent. Ego tamen, nequid dißimulem, pro Dicerent, Dicere malim. ita enim saltem æquabilior esset oratio.* EIVSDEM *modi.) Verum est, quod & Veneti, Cuiusdam modi, id est, ποῖά τινα.* QVIA *momentum aliquod habeat ad iucundum accesio, ne bonum sit.) Veneti aliter, sed sensu nondum liquido: Quia momentum aliquam habeat ad iucundum accesionem. Nos aliquando non incommodam lectionem futuram esse talem rati sumus: Ad iucundum, accesione bonum sit: sed de hoc quæramus diligentius.* EX *uirtute uitam agere.) Veneti eleganter, Vitam fingere.* ET *mox, Tanquam de inanimali aliquo loquantur.) Veneti Animali. Ac sanè Animale, quod anima præditum sit, Ciceronem appellare dubium non est: sed quod expers esset animæ, inanimum potius dixisse quàm inanimale reperias.* Lib. IIII.

Tanquam igitur de animali, uerum uidetur. Nam animal nunc brutum aut bestiam, id est, ἄλογον ζῶον dicit, ut & alibi, Quem ego in hoc animali inuenire non possem. id est, in hac bestia seu pecude. POSTEA *tuus ille Zenulus, scis enim citius quàm hunc à philosophia clientes tuos à poëtica profectos.) Semper hunc locum mendosum esse suspicati sumus.* Veneti *pro* Zenulus, Pœnulus. *& alia paulò aliter. Ac potest quidem à* Zenone *quoq;* Zenulus, *ut à lenone lenulus apud* Plautum. *sed mihi talis lectio uel huic non dissimilis certè quædam, uera uidetur esse:Postea tuus ille* Pœnulus: *scis enim* Citicas *clientes tuos à* Phœnicia *esse profectos. Constat enim certe* Zenonem *fuisse* Citiea: *& quamuis* Citium *fuerit in* Cypro *Græcum oppidum, tamen* Phœnicas *incolas admisit.* Itaque Laërtius *sic de* Zenone *orditur,* Ζήνων Μνασέου ἢ Δημέου κιτιεύς, ἀπὸ κύπρου πολίσματος ἑλληνικοῦ φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος. Clientes *autem hos* Catonis *fuisse quis dubitet? cum in huius clientela tota* Cyprus *esset, quippe qui publicato nefaria rogatione* Clodij *(ut* Cicero *uult) regno* Cypri, *ad illud occupandum, & regiam pecuniã deportandum missus fuerit.* Itaq; *iam propè, quod non facile soleo facere, hanc nostram lectionem ueram esse ausim affirmare.* EA *uirtutibus his quibus à natura essemus ornati, aptari posse.)* Fortasse *fuit in ueteribus exemplis scriptum* Opteri. Venetum *quidem exemplum* Obteri *habet. Sed quomodo cohærent quæ sequuntur?* Non *faciles illas quidem nec contemnendas.* De *hoc igitur quærendum: ac,* Res, *quidem si adderetur, quasi complanatus iam locus esset, ut fieret,* Non *faciles illas quidem res nec. sed quæramus amplius.*

RERVM PVB. *rationes.)* Veneti, Rectiones, *sed & alij similiter: & mox in* v. *eodem uerbo utitur, & simile certè est, scriptio, dictio, lectio, &c.* FALLA-

CI *loquentiæ.) Alij, Fallacis loquelæ, falsò: uerùm puto, fallaciloquæ.* L. TVBVLVM.) *Non est ignotum posteriores in multis nominibus duplicasse consonantes: ut Catulus, Catullus:* Tubulus, *Tubullus: Cæcina, Cæcinna fieret. Sed & mutatio* V, *in* I, *nota, ut optumus, monumentum.*Huius *igitur* Tubuli *& suprà lib.* II. *meminit* Cicero, *sed ibi* Tibullus *scribitur:*An *tu me de* L. Tibullo *putas dicere, qui cum* Prætor *quæstionem inter sicarios exercuisset, ita apertè cœpit pecunias ob eam rem iudicandam, ut anno proximo* P. Scæuola *trib. pl. ferret ad populum, uellent'ne de ea re quæri: quo plebiscito decreta à senatu est consuli quæstio* Cn. Scipioni: *profectus in exilium* Tibullus *statim, nec respondere ausus, erat enim res aperta. Citatur & locus ab* Asconio: *Si mehercule* Iud. *pro* L. Tibullo *dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratißimum fuisse accepimus.*Sed *in uulgatis libris, ut cum pleraq; alia, tum maximè nomina propria, & hoc nomen corruptius reperitur.* ET SI *hinc, inquit, fortasse non poteris sic abire.)* Veneti, *Etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, quemadmodum illud,* Mirabar *hoc si sic abiret.* NE *putresceret.)* Dictum *Chrysippi, ut ait* Cicero *lib.* II. *de* Natura Deorum: *sed* Non. Marcellus, *à* Putido Putisceret *deductum legit.* QVOD *in motu & in statu corporis.)*Legendum *sine dubio uidetur,* Quid? *in motu & in, &c.* QVIS *pullum* Numitorem.) Pullum *de* Publio *factum uolunt, & uerum esse* P. Numit. QVEM *Tiberina decursio festo ille die.)* Veneti, Dissensio, *falsò.*Dies *hic festus celebratus fuit* VIII. Cal. Sextil. *ut* Ouid. *docuit* Fast. VI. *his uersibus:*

Quàm citò uenerunt Fortunæ *fortis honores*
Post septem luces Iunius *actus erit.*

Ite, deam læti fortes celebrate Quirites:
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ iuuenum conuiuia lyntres
Multaq; per medias uina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.
Conuenit & seruis, serua quia Tullius ortus
Constituit dubiæ templa propinqua Deæ.

Hanc ædem marmore Cappadocico extruxisse, ait Plinius, Neronem, sacratam à Seruio rege, aurea domo complexum, lib.36.cap. 22.

TVSCVLANAE QVAESTIONES.

POLYCLETOS *& Parrhasios.*) *Polycleton fuisse nobilem statuarium scimus, pictorem hoc nomine celebrem neminem comperimus. Quare uel mutatam ita scripturam à librarijs de Polygnoto, uel esse* μνημονικὸν ἁμάρτημα, *uel nescio quid dicemus.* VTILITATE *inspecta.*) *In Venetis non est, Inspecta: & nescio quo pacto, uacare planè uidetur. Paulò pòst, Philosophia latuit. Veneti, Iacuit: idq;, ut uidetur, uerum est: nam & ita paulò ante, Iacentq; ea semper quæ apud quosq; improbantur. & Attic. 11. Tanto me dolore affecit ut postea iacuerim.*

QVAM *meus amicus Appius* νεκρομαντεῖα *faciebat.*) *Mihi ita aliquando uisum legi debere, Faciebat* νεκρομαντεῖα, *ut dicere intelligeremus Ciceronem: ex hoc genere esse* νεκρομαντεῖαν *quam App. fecerit. Hæc autem quibus in locis exercebatur ea,* ψυχομαντεῖα *dicebatur. ut & in primo de Nat. Deor. Nec* ψυχομαντεῖα *quidem quibus Appius amicus tuus uti solebat. Alij tamen libri sic, Quæ meus*

amicus Appius *νεκρομαντεία fac.* SED *quod literis extet probo.*) Ven. *Sed quod literis extet*, Pherecydes *Syrius*: *idq́; esse uerum iudico.* Non autē Syrus, *sed Syrius* Pherecydes. Ex *insula Syro, cuius & Ouidius lib.* VII. *meminit:*

Florentemq́; Cythnon, Syron, planamq́; Seriphon.

Nam *Syri, gens ut notum diuersis appellationibus destructa in Asia*. Qui *tamen & ipsi Syrij sunt* Herodoto.

QVAE *est & natura dei propria puto & sua.*) Veneti *ita*, Quæ *est ei natura?* Propria *puto & sua: planis uerbis & euidente sensu*. ΑΠΟ Καρτερῶντος.) Nos *aliquando uulgatæ scriptioni inhærentes fecimus* ἀποκαρτερήσαντος. In Venetis *autem est*, ἀποκαρτερῶν.

QVAM *optabiliter iter illud iucundum.*) Alij, Ineundum, Veneti, Quàm *iter illud iucundum esse debet?*

ISQVE *qui hoc* Diagoræ *dixit, permagnum existimans patrem cum duobus filijs, tris* Olympionicas *una ex domo prodire.*) De Diagora *in explicatione nostra huius libri dictum est.* Atque *ita quidem traditum est*, Diagoram *unà cum filijs duobus* Acusilao & Damageto *in* Olympiam *uenisse, uictoresq́; hos patrem per cœtum totum & coronā spectatorum circuntulisse, cum floribus ipse undique conspergeretur, & ab uniuersis beatus prædicaretur*. Veneti *tamen, hæc uerba*, Patrem *cum duobus filijs, non habent.* Et *uerisimile certè est, hanc inculcatam explicationem quandam trium* Olympionicarum, *ita in textu scripti adhæsisse.*

DIFFERVNT *aliquid.*) Veneti *planius ita*, Differt *aliquid.* QVAE *cæteris excellat.*) Alij, Excellebat. Verum *esse uidetur* Excellat. SIC *enim dicimus.*) Veneti, Duximus, *ut intelligendum sit disputandum esse.* Sed *priorem lectionem non puto improbandam.* QVI *enim animus est in aliquo morbo.*) Non *est incommoda hæc*

quidem lectio: Sed Veneti, Quis enim sanus est in aliquo morbo? Intellectu sustentanda: Animum ut sentiamus in morbo dici non magis sanum esse quàm corpus in ægrotatione. NEC ægroto etiam inquit nisi is qui fuerat sensus.) Victorius restituit hunc locum ita, Ne ægrotus sim, inquit: sed si fuerim, sensus aßit. MALE Latinè uertitur.) Imò, ut Veneti, Videtur. Nam certè Græcè dicitur φθονῶσοι τοῦτο. ut uersioni hic non locus esse uideatur.

ΑΥΛΩΝ hortabere ut aud.) Vene. ὑδραύλεως. ὕδραυλις autem ὄργανον μουσικὸν, ut Athenæus lib. IIII.

SI Venereum etiam aliquid admoueris,) Veneti, Si uerò aliquid etiam admoueris honestè, ut, fuit aut tibi quicquam dulce meum. CEDRVM incendamus.) Quis Cedrum odoriferam esse ignorat? uel de Maronis uersu, ut de Homericis sileamus:

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Victorius tamen reponendū probat hedychrū. PARIETVM ruinæ.) Victorius, Parietinæ reposuit. NONDVM intelligunt.) Rectè, Non'ne intelligunt, ut uidetur: & ita Veneti libri habent. CVIVSMODI est otium.) Veneti Cuicuimodi, de quo uerbo suprà diximus.

DILIGENTIA.) Veneti, Indigentia: de cuius scripturæ ueritate dubitari non potest. SEMPER aliquis alijs dolor alijs terror.) Veneti multò simplicius, &, ut puto, uerius, Semper aliquis terror. IRA uerò quādiu.) Itaq; & Veneti. Sed posse non perperam scribi existimo Cum diu. AT enim eodem.) Veneta lectione restituitur hic locus, etiam præscriptis nominibus Att. &, M. Ita, Att. At enim eadem Stoici præcipua uel producta dicunt, quæ bona isti. M. Dicunt illi quidem: Sed his uitam beatam compleri negant. lectionem igitur hanc sequemur.

A Sole

A SOLE exoriente, &c.) In Venetis ita uersus reducti ad numeros suos leguntur:

A sole exoriente supra Mœotis paludes.

Nemo est qui factis me æquiparare queat.

Non tamen prorsus reijcere possum illam scripturam, Mœotidas paludes pro Pludes. Nam ueteres breues sæpe syllabas ueluti absorpsere pronuntiando, ut in cauneas, pro caue ne eas: fnestra, snex, pro fenestra, senex, ut in Plautinis crebro. Ita & puto Horatium fecisse: -Sterilisq; diu plus, pro palus. ALITER in descriptione.) Veneti Discretione. Sed nos alibi pro discretè Venetos Descriptè reposuisse animaduertimus. Quæretur igitur utrum uerius.

VEL inanimi uel animati.) Veneti Animantis: sed illud certè non malum. Iidem rectius quod sequitur, Vel muti uel loquentis, non Eloquentis. VT ipsa se mens uitijs exutam cognoscat.) Sanè suspicio est hoc loco inculcatæ explicationis, cùm in Venetis ita scribatur, ut ipsa se mens agnoscat: id enim uidetur esse ut se cognoscat exutam uitijs. Vitijs enim obruta non agnoscit illa sese, sed in profundissimis iacet tenebris ignorantiæ. SED à te impetrare libenter uelim.) Veneti, Sed à te impetrarim libenter. hanc uolui & ipsam diuersam à nostra lectionem annotare, quamuis neutram damnare possem. NVNC quidem paululum, inquit, à Sole absis.) Veneti eleganter deficiente oratione, absis, non habent. VT quocunq; hæc loco suppeditent.) idq; cum est ad sensum aptum, tum forma non alienum, Veneti tamen, suppeditetur, habent.

NEC inexercitum philosophum.) Veneti, Eretricum philosophum. Atque constat quidem fuisse Asclepiadem Phliasium, amicum summum Menedemi Eretrieos, à quo Eretrici dicti, ut Cicero quoq; docuit in Lucullo, &

eundem in ultima ſenectute mortuum.

DE NATVRA DEORVM.

QVID *enim temeritate turpius,)* Veneti, Fortius: *quod certè congruere non uidetur. Suſpicari tamen aliquis poßit in archetypo, Spurcius, fuiſſe.* EX Epicuri internuncijs.) *Veneti & alij,* Intermundijs: *ut & in* II. de Finibus: *Indiuidua & intermundia quæ nec ſunt ulla nec poſſunt eſſe, intelligimus.* Et hoc uerum puto. *Dicit autem quædam interiecta ſpatia inanitatis inter mundos innumerabiles, quos à Democrito acceptos* Epicurus *conſtituit: de quo copioſè Victorius.* LONGVM *eſt iter ad omnia.) Veneti uerius, Longum eſt ad omnia: ut intelligamus, afferre ſeu dicere aliquid, ut Terent. Longum eſt Clitipho ſi tibi narrem, quamobrem id faciam.* EX *aqua cuncta gigneret.) Veneti, Fingeret, ut fingit enim natura prius nos intus. Sed, Gigneret nequaquam improbare poſſum.* QVI *ſe negat omnino de Dijs quid liqueat ſcire.) Veneti, de Dijs habere quod liqueat, ut illius uerba mox interpretatur Cicero. De Dijs neq; ut ſint, neq; ut non ſint, habeo dicere. Quod ita retulit Laërtius* περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι εἴθ' ὡς εἰσὶν εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥτε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. διὰ ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ συγγράμματος ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων, καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὑποκήρυκα ἀναλεξάμενοι ἑκάστου τῶν κεκτημένων.

NEC *ille eſt beatus, implicatus moleſtis laborioſiſq; negotijs.) Veneti ita, Næ ille eſt implicatus moleſtis laborioſiſq; &c. ut mihi uidetur, multo elegantius.* CAETERA *quàm doctus.) Cæteroqui Veneta exempla. Quo quidem & alibi Ciceronem uolunt eſſe uſum, neq; ego aliter ſentio.* INSIGNI *nota ſtrabones aut pætulos.) Veneti,*

ti, Si non tam strabones at pætulos. & sanè sunt strabonum oculi planè distorti, pæti autem fracto & instabili lumine. Sed non possum tamē nostratem scripturam omnino adhuc improbare. NON *uestro more, sed dialecticorum quos funditus gens nostra non nouit.*) Veneti, *Quæ funditus gens uestra.* Nam Epicurus *dialecticam certè repudiauit, ut ait* Torquatus *in primo de finibus.* In *dialectica autem uestra nullam uim existimat esse, nec ad melius uiuendum, nec ad commodius disserendum.* Quod *autem in* Venetis, *Quæ, infertur quod referat* τὰ διαλεκτικά: *est illud quidem munus simplicius orationis, sed haud scio an uerum.* SED *tamen cur tantum* Epicuri, *&c.*) Legendum, Cum *tantum: & mox, Soletis quæri non Quærere.* CISIPPAM.) Veneti Chesippum, *à uerbo obscœnioris significationis*, χίσαι, *facto nomine.*

QVOS *non pudeat earundem* Epicuri *uocum.*) Veneti, Quos *pudeat earum* Epicuri, *&c. ut intelligendum sit*, Velleium *admodum fortem* Epicureum *fuisse, qui nihil uereretur proloqui omnium quæ à magistro didicisset. Sed mihi ita hic aliquando locus esse legendus uisus*, Quin *pudeat earum tandem* Epicuri *uocum.* NOSTRI *crinitas uocant.*) Alij *cicinnatas. Etsi enim Græca est uox* τ̃ κικίννων, *ut* Theocrito οὐ μάλοις οὐδὲ κικίννοις, *tamen* Latini *ut sua usi fuere, unde & priscum* Quintij *nomen factum ut* Cicinnatus *diceretur.* OMNES *igitur partes mundi tangam quæ maximo calore fultæ sust.*) Veneti *rectè ita*, Omnes *igitur partes mundi* (*tangam autem maximas*) Cal. *Iust. placet & quod mox non* Ictu, *sed*, Tritu, *in illis scribitur.* Conflictus *enim lapidum ictum significat.* Itemq; *uerum uidetur quod sequitur*, Primum *ipse liquor aquæ declarat effusæ. non*

ut nostri habent libri, Tamen aquæ declarat effusio. quid enim ille liquor est, aut quid declarat singulare? Sed mouit fortasse aliquem ut, tum, adderet, & locum mutaret, quod, primum, Pom. solum non oportere crederet. quod solere tamen suprà etiam ostendimus. ALTERVM *autem continua conuersione sui, ijsdem spatijs cursibusq; conficiat.)* Veneti, *Continuas conuersiones duas: qua quidem scriptura uerborum congruitas perficitur, & absoluitur sensus. Sed quas duas conuersiones dixerit, parum liquet.* Nam *excogitare illam peragrationem parui circuli quem* ἐπίκυκλον *dixere, & hanc facere alteram stellarum conuersionem, nimis, ut opinor,* τεχνικὸν *fuerit: atque haud scio an non sit omnino consentaneum rationi* Ciceronis. *Si autem existimare uoluerimus, uarietatem quandam significari motus stellarum ut progressionis & regressionis, refellent nos sequentia quæ docent intra hunc numerum non contineri: sic enim mox post alia inquit,* Tum *abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum autem subsequuntur, tum celerius mouentur, tum tardius, tum ne mouentur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt.* Verum *igitur uidetur,* Continuas *conuersiones suas. nam contra cœli motum has stellas ad ortum niti deprehensum est.* Non *autem uago incertoq; cursu aut uarijs spatijs illæ feruntur: sed eadem perpetuis temporibus obeunt atq; seruāt.* Itaq; Plato νόμων. ζ. *falsò à* Græcis *errantes appellatas ait.* τὴν αὐτὴν γὰρ, *inquit:* αὐτῶν ὁδὸν ἕκαστον καὶ οὐ πολλὰς, ἀλλὰ μίαν ἀεὶ κύκλῳ διεξέρχεται, φαίνεται δὲ πολλὰς φερόμενον. Dicit *autem peragrationem significari, quæ fit à singulis temporibus statis immutabili definitione.* HVNC *etiam augures nostri cum dicunt* Iouem *fulgentem, tonantem. dicunt enim* Ioue *fulgente, tonante,* dicunt

dicunt in cœlo fulgere & tonare.) Veneta lectio mihi & hoc loco probatur, in nostraq; uidetur aliquis nescio quid architectatus. Sic igitur illi, *Hunc etiam augures nostri, Cum dicunt* Ioue *fulgente, tonante, dicunt enim cœlo, fulgente, tonante.* Repetendum autem uerbũ superne, *nuncupat: Conuenienter quidem, quemadmodum debet*, ἐν συλλήψει *ut ita fiat: Hunc etiã nuncupant augures nostri. Versus autẽ* Euripidis *sunt expositi à* Luciano Ioue Tragœdo:

Ὁρᾷς τὸνδ᾽ ὑψοῦ τόνδ᾽ ἄπειρον αἰθέρα

Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ᾽ ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,

Τοῦτον νόμιζε ζῆνα τόνδ᾽ ἡγοῦ θεόν.

PARTIM *miscetur in una.*) Hoc quidem *falsum:* Ven. Parte admiscetur. Arati *autem uersus notus:* Μίσγονται δύσιες τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλοισι. Neq; *uideo quid legi ue tet*, Parti *miscetur: ut apud* Plautũ, *de parti mea. Menæchmi.*

ANTECANIS *procyon.*) Veneti Ante canem, *ut pro consule.* Et *sanè compositio, antecanis durior uidetur. Ante canem autem oritur illa stella, ut notũ est.* QVOD *ob quam caussam datum est, nisi quod si in eam.*) Veneta *lectio uerior: Quod ob quam caussam datum est?* Ne *si quid cibi fortè incidisset, &c.* ESCVLENTIS & *poculentis.*) Veneti *à potu, potulentis*. Sed *poculum certè etiam potum significat, ut,* Pocula *si quando sæuæ infecere nouercæ.* QVAE *pupilla uocatur.*) Veneti, *Pupula: illud autem alterum diminutiuum fuerit, ut cista cistula, cistella. Sed pupulam dicunt quam Græci* κόρην *nigrum in oculo.* PVTRESCERET.) *Putisceret* Nonio *uisum esse scribendum suprà ostendimus.* MAGNIS *autem uiris prospere eueniunt semper omnes res.*) In Venetis, *Eueniunt omittitur.* Et *potest sanè extrinsecus non incommodè uerbum intelligi. Sed illa sinam: Magna curare* Deos,

re Deos, parua negligere. Euripidea est, cuius uersus Plutarchus præceptis coniugalibus exposuit:

Τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται
Θεός, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ

MIHI quidem ex animo exire.) Veneti libri habent multò uehementius uerbum, Exuri: quæ enim nulla alia ratione tolli possunt, ferro & igne solent. SED qui ista intelligenda sunt.) Verum uidetur esse, Intellecta sint, astipulante & Veneta scriptura. QVAE cursus certos & constantes habent uel seruant.) Vel seruant, omittitur in Venetis: & sanè apparet hanc alicuius dubitationem in textum scripti inculcatam fuisse. VNDE animam arripuerimus, si nullus fuerit in mundo Deus.) Vera lectio suffragante & exemplo Veneto, Vnde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo. Deum enim temerè inculcârunt hoc loco. Planum hoc faciunt Xenophontis uerba de primo ἀπομνημονευμάτων: Νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς πως δοκεῖς συναρπάσαι. EX Idæis dactilis.) Alij digitis, ut Cicero interpretatus fuerit Græcum uerbum. de his alij aliter. Quidam Phrygas, quidam Cretenses, ut Apollonius fecere. De his ueteres uersus in Græcorum scholijs repertos subiecimus. ἔνθα γόητες

Ἰδαῖοι φρύγες ἄνδρες ὀρέστεροι οἰκί' ἔναιον
Κέλμις, δαμνάμενός τε μέγας καὶ ὑπέρβιος ἄκμων
Εὐπάλαμοι θεράποντες ὀρείης ἀδρηστείης
Οἳ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος ἡφαίστοιο
Εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις ἰόεντα σίδηρον,
Ἐς πῦρ τ' ἤνεγκαν καὶ ἀειπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν.

Reliqua autem persequi, quæ de his traduntur, & nimis longum, neq; instituti huius fuerit. CIRCE autem

& Pasiphaë, & Hesperides.) Veneti ita: Et Aee è Perside. Ac de Circe res certa est, quam & Aetam dicit Hesiodus ex Sole & Perseide Oceani filia procreatam. Sed & Pasiphaën fuisse Solis filiam, uel de Ouidianis uersibus notum est, quibus Phædra de auo Sole gloriatur.

Quòd sit auus radijs fronte uallatus acutis,
Purpureo tepidum qui mouet axe diem.

Sed & restitutio eorum quæ mox sequentia in omnibus exemplarib. uulgò ita legebantur, & à patre Matridilia, facilis fuit, ut scriberetur Aeta patre, Matre Idya. Nam Hesiodus duxisse ἰδυῖαν *Oceani F. Aetam, & ex illa suscepisse Medeam, scribit.* IAM *Musæ primæ quatuor natæ Ioue altero, nata & Thelxinoë &c.) Veneti, Iam Musæ quatuor natæ Ioue altero, Thelxiope, Aoede, Arche, Melete. Sed quatuor Musæ nusquam commemorantur à Græcis. Tres quidem fuisse priscas scribit Pausanias Bœoticis his nominibus,* μελέτην, ἀοιδὴν, μνήμην. *Et Ausonius in grypo ternario, Tres quondam in Cithærone ex ære positas innuit. Quare poterimus, ut opinor, sine reprehensione ita legere, Iam Musæ primæ, III. quæ Ioue altero natæ è Thelxinoë, uel sanè Thelxiope, de hoc enim nondum quicquam compertum habeo.* QVO *Iouem ornarat ex manubijs Carthaginiensium Tyrannus Hiero.) Veneti, Gelo. Hieronis frater Gelo fuit, qui sæpe aduersus Carthaginienses uictor in Sicilia rem præclarè gessit, & copias Pœnorum duce Hamilcare infestas Siciliæ deleuit, ut Herod. scripsit Polymnia. Sed & Hieronis multæ aduersus barbaros uictoriæ memorantur, ut non existimem mutandam scripturam, præsertim cum & apud Valerium, qui hanc etiam ut alias plerasq; narratiunculas de Cicerone collegit, Hiero legatur.*

DE

DE DIVINATIONE.

RANA *fluxit idem.)Cum non dubium esset quin falsò hoc legeretur, nos coniectura aliquando emendauimus, Raua fulix itidem.Sed in Venetis, Cana scribitur. Virgilius autem fulicas fecit à recto fulica. Marinæ in sicco ludunt fulicæ.* DE *quo in Bruto Accius loquitur, ipse quum &c.)Vera lectio, De quo in Bruto Accij loquitur ipse:Cum quieti &c.Fabulam autem Accij cui Bruto nomen esset significat, quam & ludis Apollinaribus,qui M. Bruti absentis nomine facti fuere,actam,intelligi potest de prima Philippica.* VERE *mea puella.) Veneti, Vero: nam quamuis hæc particula ferè alteri uerbo soleat subiungi, tamen & initialis reperitur in significatione earum quæ interiectiones dictæ fuere.* CONSVLI *cœpimus.)Veneti, Consuli cœpti sumus.Quæ figura & alibi reperitur in scriptis Ciceronis.* AVT *permotione.) Nunquam dubitaui quin uera scriptura fuisset Prænotione,de qua illa fluxisset, neq; nunc sanè mutare sententiam possum.* BENE *qui conijciet uatem hunc perhibebo opt.)Alij Perhibeto, eodem sensu. Græcus autem est uersus Euripidis apud Plutarchum:* Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζοι καλῶς. CVI *certò scio iudicium nunquam defuisse.) Quid iudicium hoc loco significare poßit non facile dictu est. Veneti pro hoc, ludum, habent, id quod rectius uidetur esse, certè conuenientius esse apparet.*

Lib.II. FRATER *es,non uereor.) Veneti, Frater es, cò uereor. Et naturalis est certè pudor inter consanguineos, & erga parentes,ut ille reuerentia patris prohiberi se ait quo minus dicat eum desipere:* ἀμὴ πατὴρ ἦσθ᾽ εἶπον ἄν σ᾽ οὐκ ἀφρονεῖν. QVI *sapientiæ potentes.) Sic plerique libri: sed uerum est Sapientipotentes, itaq; & in Venetis*

tis. Est enim uersus Heroicus,

Bellipotentes sunt magis quàm sapientipotentes.

CONCVRSARE *omnium mort.)* Puto ueram esse, *Circuncursare.*

EPISTOLAE FAMILIARES.

FAMILIARIVM *epistolarum præscriptionem* Victorius *repudiat, & illam uocem temerè propositam probare uult: cuius, qui uolet, disputationem huc assumet.* LENTVLI *Cos.)* Veneti, *Lucij Cos. Sed & Marcellinus cognomento fuit Lentulus, ut de hac scriptura quærendo cur tempus consumere uelimus caussa non esse uideatur. Tempora autem esse rerum earum de quibus scribuntur istæ epistolæ, apparet annum qui secutus fuerit reuocationem Ciceronis, quem Coß. habuisse accepimus, Cn. Lentulum Marcellinum, & L. Martium Philippum.*

BIBVLO *assensum est de tribus legatis.)* Rutilij *extant quædam in has epistolas annotationes, in quibus & hic locus distinctione explicatur, legit enim, De tribus legatis à nouo initio, ut fiat, iuisse in alia omnia frequentes de parte sententiæ Bibuli qua tres decernerentur legati, qui regem reducerent. Quod enim quidem planè probat.*

ANTE *se oportere discessionem facere quàm Coß.)* Veneti, *Quàm consulares. Cuius scripturæ cum rationem nullam reperire poßim, priorem retinendam censeo, præsertim quæ sensum conuenientem complecti uideatur. Ad sententiæ enim Hortensij mentionẽ qua decerneretur Regis Lentulo reductio, intendere Lupus suam cœpit dẽ Pompeio relationem. Voluitq; prius explicari ea de quibus ipse, quam de quibus Coß. retulissent.* HAC *controuersia*

usq;

usque ad noctem ducta.) Veneti, *Hæc controuersia usque ad noctem ducta*, perelegAnti eclipsi uerbi substantiui. IS *dies primus honestiss. nobis &c.*) Veneti, *Primus*, non *habent*. Et nescio quo pacto, diligentius cogitanti, suspe-
Epist. III. ctum uerbum illud mihi uisum. VT *intelligat nostram commendationem.*) In Venetis, *Nostram* omissum. Et quidem fieri potest, ut aliquis addiderit, qui uereretur, ne parum sine pronomine res clara futura esset. Cum tamen illo omisso, oratio ἐμφατικοτέρα esse uideatur. IN *magna uarietate.*) Veneti atque etiam alij, *Non magna uarietate*. quæ quidem lectio certè probatur mihi magis quàm altera
Epist. V. illa, magna uanitate. SE *res habeat resistemus.*) Veneti, *Se res habet resistimus*. alij ita uerbis absolutiore sensu, *Et Catoni quidem, quoquo modo sese res habeat, profectò resistemus*. ERIPIATVR *à nobis caussa regia.*) Ven. *Eripiatur caussa regia nobis*. Atq; illa quidem locutio non est aliena, sed lectio tamen Veneta mihi ualde arridet.

ET *nuntijs cognoscere arbitror*) Veneti, *Cognosse*. Sed nostra lectio certè retineri potest. Quam hoc loco cum Veneta non facilè commutarim. ET *acerbè nimium magno silentio est accusatus.*) Alij, *Omnium magno silentio*. quæ haud dubiè lectio uera est. ET *proditorum.*) Alij *Perditorum*, alij ἐκδικωτέρως, *Proditorū tuorum*. QVAM
Epist. VI. *mea salus afflicta sit.*) Veneti, *Est*, rectius ut uidetur. Ac sæpe deprehendimus has duas formas seu hos modos, *Est*, & *Sit*, à librarijs permutatos fuisse. *Tempore Caniniano.*) Ita omnes ferè libri, & explicatores ad Caninij Trib. pleb. aduersationem retulerunt. In Aldinis tamen annotatur, *Catoniano* in alijs exemplis reperiri. ID *quidem, nos hoc sentimus*) Hunc nos locum ita aliquando putauimus legendum, *Id quidem tu, Nos hoc sent.* id est, quidem

dem tu uidebis ἐλλειπτικῶς. QVOS fauendo in communi caussa.) Veneti, Fouendo. significat autem hoc uerbum θεραπεύειν, ut, Fouit ea uulnus lympha longæuus lapis. Itaque, si hoc uerum est, se ἀθεράπευτον dicit à quibusdam à caussa alienatum Cicero. SED etiam olim.) Veneti, Sed iam olim. Alij, quod mihi non improbatur, Sed & iam olim. PAVLO supra ubi in omnibus ferè exemplis ita legitur, Te posse perspicere, qui Ciliciam Cyprumq; teneas.) Rutilius ait in ueteribus ita esse, Arbitror te perspicere posse, Quæ scriptura si est uera, omnia fuerint plana. Sed certè fieri potest ut etiam uerbum, Arbitror, in illa uetera exempla Rutiliana de alicuius explicatione irrepserit: nam sine hoc non solum sensus euidens huius est loci, sed etiam oratio elegans. Hæc enim sunt quæ Cicero uult illum existimare de sententia Pompeij à se scribi, Posse, inquam perspicere, quid efficere & consequi possit. PERFECISSE tantum mihi uidentur.) Veneti, Profecisse. Vt alibi, Multum profeci, sed quantum non planè, quia longè absum, scio. VT ME dignitas utilitasq;.) Veneti, Pietas. quam mutationem scripturæ nondum est, ut omnino probare poßimus. VT forsitan quibusdam uideor.) Videar Veneti. Alij non minus, ut opinor rectè, Videtur. CAETERA quæ ad te pert.) Veneti, Cæteraq; quæ. addita coniunctione, pleniore, ut uidetur, sensu. Rutilius etiam aliam subijcit scripturam, sed nimis, ut uereor, mutatam. QVO seiuncti fuimus.) Veneti & alij, Dijuncti. Ita enim ueteres, ut uidetur, s, litera omissa, quæ pronuntiatione excluderetur: quam tamen nos ferè retinuimus, præsenti seruientes consuetudini. PRAESTANTIORES præsens.) Præsentiores Veneti: sed & alij. annotauit Victorius alibi quoque permutatas à librarijs

Lib. 8

Lib. 9

rijs has dictiones. TE'QVE *id non reprehendere scribis.)* Veneti *& alij*, Asscribis, *quam ueram lectionem puto.* DEBERE *arbitrabar.)* Alij, Debere oportere *arbitrabar, & mox pro*, Resarciendis, *alij* Sarciendis.

CVM *ut laudaret Pompeium* P. *Sestius.)* Ven. *Cum ut laudaret* P. *Sestium intr.* Et *hanc lectionem* Rutilius *probat.* NON *potui magis, &c.)* Elegantior Veneta *& magis consentanea, nisi fallor lectio, totius huius loci, ista*, Num *potui magis in arcem illius caussæ inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, meminisse actionum? & paulò antè*, Marcello *&* Philippo COSS. *alij uerius* Marcellino. IN *hanc mentem impulit.)* Veneti *rectius, ut puto*, In *hac mente, id est, in hoc proposito.* Mens *immota manet, lacrymæ uoluuntur inanes.* SI *ij pro me stante, pugna non destitissent.)* Valde *est diuersis in exemplis uaria huius loci scriptura, ut eum quin alicubi corruptus sit, dubitari non poßit, quidnam rectiß. legamus quærendum esse uideatur.* Aliqui *igitur*, Pugna *restitissent.* Veneti, Si *ijs pro me stante pugnare licuisset. alij similiter, sed pro licuisset, libuisset.* Stare *autem significat & alibi saluum esse & incolumen.* Vt Attico VI. Non *quo ullum periculum uideam stante modo* Pompeio, *uel etiam sedente, ualeat modò, &c.* Et Vergilius:

Troiaq; *nunc stares*, Priamiq; *arx alta maneres.*

Aliquibus etiam in libris hanc scripturam reperimus. Si *ij pro me stante pugna, non reliquissent.* Vt Ouidius *pro* Troia *stabat* Apollo. Et *mox*, Quàm *fuerant ijdem in tuendo*, Veneti *rectius, ut uidetur*, Tenendo. Illa *furta mulieb.* Rutilius, Ille *fur, uerum esse ariolatur.* Sed Veneti *locum emendarunt* Illa *furia.* Alij *autem maluerunt*, Ille *furia muliebr. ut illic scelus.* Et *quod uerò à te uiro optimo seductus*

ctus est, tuoq; beneficio adhuc uiuit hæc pestis. Et in Venetis etiam *rectè, nisi fallor, legitur,* Impunitatem *est scelus.* QVASI *desciuerim prist.*) Alij Destiterim, *alij* Desciscerem. NON *queas.*) Temerè *mutarunt aliqui hoc in,* Nequeas. *Nam similiter* Cicero Terentiæ, *Ad te uerò, & ad nostram* Tulliolam *non queo sine lacrymis scribere. & alibi sæpius.* QVO *uelis tandem peruenire.*) Veneti, Tamen, *quod probatur mihi, ut,* Tu *tamen interea calido mihi sanguine pœnas persolues.*

NON *idem semper dicere, sed idem semper spectare.*) Alij Præstare *debemus, nempe culpam ἢ τοιῦτόν.* Sed *prior lectio, ut puto, uera est.* QVAE *max. cum mihi tum etiam* Reipub.) *Alibi non certè inelegantiorem scripturam hanc reperi.* Quæ *maximè mihi, tum multum etiam* Reipu. SCRIPSI *etiam carmina quædam &c.*) Victorius *etiam hoc loco emendationem suam mihi planè probat. Ac mox,* Nam *ab orationibus disiungo me ferè.*) *alij* Disiungor *interdum. quorum utrum de altero factum sit, non facilè dictu.* SED *uerebar.*) Veneti, & *alij,* Sed *quia uerebar.* Ac *uereor ego ne aliquis qui metueret ne uitiose locutus* Cicero *uideretur, subtraxerit coniunctionem; quo facto nihil opus fuit.* Sed *de hac re alibi disseruimus.* SEPARATVRVM *cum collega.*) Victorius Se *paraturum, alij* Pacturum, *alij etiam* Partiturum, *alij* Comparaturum. SVNT *qui putant te non decedere.*) Alij, Sunt *qui putent te non posse decedere. atque haud scio an hoc,* posse, *incalcatum sit.* Hoc *enim* Cicero *sentire uidetur, non oportere* Lentulum *decedere, quibusdam uideri, idiotismo quodam eleganti, qualia propemodum & Vergiliana hæc,* Hæc *se carminibus promittit soluere mentes, &c.* Pauló *antè, legemq;* Curia-

tam Consuli ferre opus esse, necesse non esse.) Alij, *Sibi necesse non esse.* quod & Rutilius & Egnatius probant & explicant: mihi tamen nunc etiam utrum uerius sit considerandum uidetur. FACILITATE *quidem quid uellem.*) Puto rectè per παρένθεσιν legi posse, *Facilitate quidem, quod uellem.* Veneti, *Felicitate quidem uellem consf.* Id

Epist.10 sanè uidetur alienius. TANQVAM *Vlysses cognosces.*) Aliqui *Agnosces* propemodum ausi fuerunt scribere. Iocari enim Ciceronem in hoc, quòd Valerium superbum suos despecturum dicat: nam suos non ignorasse Vlyssem, ut Homerus autor sit. Sed non potest esse magnopere dubium, quin de Latina fabula locus assumptus sit. Et Apud Homerum tamen non homines modò, sed totam insulam Ithacæ ignotam fuisse Vlyßi legitur.

LIBRI SECVNDI.

2 BIS *ter'ue ad summum.*) Victorius mauult, *Bis ter'ue summum.* Et mox Veneti, *Sic ad nos conformatus reuertare.* ubi nostri libri, *Confirmatus*: cui lectionem cur Venetam præferam, non uideo. QVIA *è uita disc.*) Veneti & alij, *Quàm à uita disc.* atque in nostris præpositionem temerè mutatam iudico. NEMPE *studium non.*) Torserunt se hoc loco explicatores, aliquid ut exprimere possent quod consentaneum uideretur. In antiquo manu scripto exemplo animaduertimus, hinc nouum alterius epistolæ initium duci, & scriptum, *Nuper studium.* Victorius & ipse hinc nouam epistolam orditur, sed *Rupæ studium*

6 *non, &c.* legit. ET VT *senatus consultum & leges def.*) Veneti, sine caussa, ut puto, reposuerunt *Senaticonsul.* Non quòd hanc formam ueteribus usitatam fuisse

8 ignorem, sed quia illa est notior. QVOD *ita factum sit.*) Veneti & alij, *Quòd ita factus sis, nempe ædilis.*

QVOD *quia præter opinionem.)* *Alij Quia, ut inculcatum, inducunt. alij pro, Quod, reposuerunt, sed. Quorum neutrum fieri oportuisse existimo. Nam ad Cælianarum literarum particulas, hæ Ciceronianæ rescribuntur; ut orationem uerbis deficere, & intellectu perficiendam esse facilè apparere poßit. Sed mox, incredibile hoc factum) cum multis exemplis consentientibus legemus Factu potius.*

VOLVPTATEM *homini.)* *Rutilius, Habui, mauult. Sed Victorius Animi reponendum esse mihi probat.*

TV *uide quàm timidè.)* *Annotatum in Aldinis, quodam in libro uestigia scripturæ uideri indicare, in archetypo fuisse, Temerè: in quodam hac totum omissum fuisse, ut ita scriberetur: Tu uide, quàm ad me literæ non perf. De qua quidem lectione sensus erat apertus. Sed ex illa tamen etiam elici poßit aliquis, si posterioris, Quàm, loco, Quum, reponamus, ut hoc κατ᾽ ἀποσιώπησιν dicat Cicero, Videndum Cælio, quàm timidè literas ad illum mittere debeat, cùm non uideantur reddi. Sed hac fortasse exquisitione nihil opus fuerit, cum alteram lectionem simpliciorem sequi liceat. Quod autem mox ita legitur, Quia quod sperabam de nihilo.) Ita rectè emendarunt, ut opinor, De te, quid quod sperabam. De Hillo (balbus enim sum) quód non putaram. Nam & has caussas addit cur Cælium neglexisse literas ad se mittere non arbitretur Cicero, quia acciderit de honore ipsius quod sperârit, ut Aedilis designaretur. De Hirro autem, quem balbutiens Hillum uocat, quod non putarit, hæc confirmant Cæliana; sic enim ille, Hoc ideo scripsi, quòd scio te acriter propter Hirrum, nuntium nostrorum comitiorum expectaturum. Et spero te celeriter & de nobis quod sperasti, & de illo quod uix sperare ausus es, auditurum. Non enim* 9

Hirrus modò non prælatus Cælio in petitione fuit, sed repulsam etiam tulit. Quod si uerba ut suprà à nobis, rectè distincta fuerint, quæ suspitio mendi relinquatur non uideo. TANTIS *opibus tanto'que negotio.) Veneti & alij, Tantis operibus quod haud scio an nemo dubitaturus iam sit, uerum esse. Et mox pro Serius, reponit*
10 Rutilius *& Ven. Spißius.* IPSA *dies me admon.) Veneti, Ipse dies. Sed non uidetur discrimen esse in generis diuersitate, id quod grammatici quidam tradidere.*
11 *re.* ITA *molestæ quinquatrijs.) Victorius Quinquatrus reponit.* AD LAIVM *regem.) Veneti & alij Ad Deiotarum. Sed mirum de hoc illud factum, cum Deiotari præsertim nomen non sit inusitatum in scriptis Ciceronianis : quæremus de hoc diligentius.*

NON *erat minor ex contemnenda, quàm ex conseruata prouincia spes Triumphi.) Veneti, Non erat minor ex contemnenda, quàm ex conseruata prouincia: ut laudem intelligamus. Postea de nouo exordio addunt, Spem triumphi, inquis. Satis gloriosè. Alibi autem reperi hanc scripturam quæ mihi percommoda uisa est : Spes triumphi, inquis. Satis gloriosè triumpharem: non essem quidem tandiu in desiderio rerum mihi carißimarum.* ἐλλειπτικῶς *enim hoc quod fortasse Cœlius dicturus esset, tangit, Spem esse ex prouincia bene gesta triumphi, quæ nulla potuisset esse, illa neglecta, &c.* ΚΩΜΙΚΟΣ μάρτυς *, ut opinor , accidit Phania.) Suspicâtus aliquando sum legendum, Occidit Phania, qui, ut notum est, libertus fuisset Appij. Neque non blanditur nunc quoque illa nobis opinio. Sed* κωμικὸς μάρτυς *quis ? De hoc nonnihil Victorius, sed quod tamen titubare uideatur. Ac fieri potest, ut Cice. in nomine Appiani licerti luserit. Nam Pha-*

niæ, ut Sosiæ, Comicarum personarum usitata fuere nomina. Ac potest fieri ut uel de glorioso teste prouerbio usus fuerit, uel qui ad testificationes essent prompti, ut illi in Pœnulo, *ut de fucato teste prouerbium accipi recte posse uideatur.* CIVITATES *locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conseruaram.)* Alij, (*Nam publicanis etiam superioris lustri reliqua, sine sociorum ulla querela conseruata sunt) quam scripturam nonnullis coniecturis ducor, ut esse ueram existimem.* CAESARI *honestiß. cupio.)* 14
Victorius *probat, Cæsarem honestum esse cupio. & mox, At omnium ferè exemplum.* Veneti *& alij quoque libri,* Exemplo. NON *enim te celaui sermonem.* 15
Sed nonne tum prouidisti.) Omisere *aliqui, ut uidetur, temere, Sermonem, alij fortasse non sine caussa illud quod sequitur, Sed non'ne.* Veneti *libri ita, Non enim te celaui sermonem* T. Ampij. *uidisti quàm, &c.* In Aldinis *etiam annotatur talis lectio, Sermonem quem audissem. In tanta diuersitate nescio an nemo, nos quidem nihil possumus statuere.* CANINIO *Sal. Proprætori.)* Alij, Pro- 16
quæstori, id'que uerum uidetur esse. DE *drachmis* CCCLIII.) *Veneti,* CCCLↃↃↃ. *De qua notatione numerorum aliquid traditur in libello* Prisciani *De ponderibus & numeris.* INIMICOS *præsertim iure.)* Alibi *ita reperimus scriptum,* Iratos, *iure præsertim, &c.* LE- 17
GATIS *quæstorem poßis ant.)* Veneti *& alij, Legatis* Quæstorijs. Quæstorem *pos.* Alij, *Legatis* Quæstoris, Quæst. *sed historia ignota, hæc explicari uix possunt.*

QVAM *nobis sors tribuisset.)* Ven. *Fors, sine caussa,* 18
ut puto, reposuerunt. Cùm neq; obscurum sit sorte prouincias, id est, functiones quasdam Reip. distribui solitas, &

hoc loco etiam, Sortem exordium huius epistolæ confirmet. QVAMOBREM *quæcunque à me ornamenta in te proficiſcentur, elaborabo ut omnes, &c.*) In Venetis & alijs quibuſdam libris, Elaborabo, non legitur. Vt, Quæcunq;, ſignificet, niſi fallor (eſt enim hoc inuſitatius) Omnia.

LIBRI III.

VERV'M, *quod uidi, etiam curioſus.*) In quibuſdam notatus erat ſigno locus, qui indicaret mendum, ſed Victorius, Quod iuuet, repoſuit. L. VALERIVM Iuriſconſ.) Veneti, Iureconſ. quam ſcripturam hodie multi eruditi uſurpant, ſine ratione ut exiſtimo. Non quod neſciam in pronuntiando apud ueteres, s, liqueſcere ſolitum, & hinc fieri poſſe ut de hoc etiam uocabulo defluxerit. Sed ego de integritate uerbi loquor. Conſulti enim certè alicuius rei periti de quo conſuli & reſpondere ſolerent, dicti fuere, ut contrà Inconſulti, dubij & ignari, Maroni, Inconſulti abeunt. Iuris igitur ſicut Eloquentiæ conſulti, ue-
Epiſt. 3 rum eſt. PRO *noſtra conſtantiſſ. uoluntate.*) Vene. & alij quoque, Conſociatiſſima, quod uocabulum, etſi eſt perelegans, tamen illud quoque tueri uidetur hunc locum
4 ſuum. ET *M. Brutum generum tuum. Collegij coniunctio, &c.*) In quibuſdam pereleganter, ut uidetur, ſcriptum inueni, Et meum Brutum generum tuum Collegij quoque
5 coniunct. ET *ſolutior eſſe poſſet,*) Alij, Eſſe uideretur. quamuis autem illa clauſula ſit elegantior, tamen & hæc reperitur in ſcriptis Ciceronianis. Paulò pòſt, Prope Cal. uerius iudico quod alibi legitur, Prid. Cal. PRIVS *ut te conueniam quàm decedas.*) Alij, Ante te uidere quàm decedas: quorum ſanè utrum alteri præferam, non poſ-
6 ſum conſtituere. QVI *tibi ad decedendum.*) Alij, Ad ſuccedendum: poſſeq; rectè teneri utrumuis exiſtimo. Paulò

Paulò pòst, Latè enim patet hoc uitium, & est in multis.)
Veneti & alij, duplicata parenthesi ita. Latè enim pa-
tet hoc uitium, est enim in multis. quod & esse uerum cre-
do. LEGATI *Apameani.) Victorius Appiani pro-* 7
bat: atque haud scio an potiùs Apamenses, ut alibi τὺς
ἀπαμίας *dicturus fuerit.* Et mox, *Ac Cesonio, idem legit,*
Accenso meo. Et ἀγωνία *mox, non etiam* ἐξοχὴ*, illumq́;*
etiam locum planè, nisi fallor, emendauit & explicauit.
QVIA *si cuius aures.) Diuerse in diuersis exemplis hic* 8
locus scribitur. In Venetis, Quàm si cuius aures, alibi
Quàm is si cuius, alibi, Quàm hi quorum. QVID
potest esse incallidius.) Veneti, Callidius, ἀρωνικῶς*, ut*
apparet. Et mox, Si aut Legatorum tuorum quispiam,
aut Præfectorum, aut Tribunorum Mil. male dicit, Assen-
tior Venetæ lectioni, Si aut legatorum tuorum cuipiam,
aut Præfectorum, aut Trib. Mil. male dicitur. Nam &
alibi quasi interpretationem reperi, De Legatorum tuo-
rum quopiam. Paulò pòst, Et impurius, Victorius pro-
bat, In plures. SIN *autem quenquam mea.) Veneti,*
Sin autem quem: de quo uereor ne illud sit factum. Et
mox, Limitauit: Veneti, Limabit, alij Elimauit. NE-
QVE *domum unquam ad meos literas mittam.) Veneti*
idiotismo eleganti, Ad me literas. Vt, Eamus ad me: ibi
prox. est ut mutes. Et, Eamus ad me omnes. & in primo de
Orat. Quem ruri non longè apud se esse audio. TVAM 9
pristinam urbanitatem reddidit.) Alij Voluntatem. & in fi-
ne reperi alicubi additam blandiss. clausulam hoc modo,
Vale mi dilectissime omnium. QVAE'QVE *instituta* 10
sint, cognosce.) Rutilius intelligere se, annotauit ad hunc
locum, multa abesse. Victorius planè ita esse confirmat.
NON *quod quisquam aliter.) Veneti, Quo. non autem* 11

dubium est quin & Quo, Quia, &, Eo, Ideo, *apud Cice-*
12 *ronem plurimis in locis ualeat.* IN *quo unum uereor, ne tu parum persp.)* Omnia *quæ uidere contigit exempla,* Non *uereor, habent: de quo ut apparet, alius sensus existit, nempe, confidere se quòd perspiciat* Appius *hæc ab illis, uel alijs, gesta, &c.* HAC *mihi affinitate nuntiata.)* Alij, *Affinitate nostra renuntiata, ut in epistola* Sulpitiana, *Postea quàm mihi renuntiatum est de obitu* Tulliæ F. *tuæ.*

LIBRI IIII.

4 VT *is cuique locus ubi ipse sit miserr. esse uideatur.) Multo elegantior* Veneti *libri scriptura,* Vbi *ipse sit, ut sibi quisque miserr. esse uideatur,* Etsi *errant omnia planiora si legeretur,* Vt *ibi quisque.* Iam *& hanc animaduerti aliquibus in libris scripturam,* Vt *is cuiq; locus ubi ipse sit, utq;*
5 *sibi quisque miserr. esse uideatur.* QVI *per quos ea fieri.)* Veneti, *& alij, uerius,* Confieri, *id est, confici, ut illud, nunc qua ratione quod instat* Confieri *possit, paucis aduerte docebo.* Et *mox,* Ipsi *pari molestia affic.)* Veneti, Id *ipsi, antiquam scripturam habent, pro ij ipsi litera,* D, *interposita hiatus tollendi gratia, ut in* Redeo, Redhibeo, Redarguo, Redigo. *&* Plauto, Mederga. *Sic etiam paulò pòst pro* Oppidorum, *in* Venetis, Oppidū *est. & pro* Laudem adipi-
6 *sci,* Apisci, *antiquè omnia.* ET *noster* Gallus.) Veneti *& alij,* Vester. C. *autem* Sulpitium Gallum *significari uolunt.* Et *in libello de amicitia.* Memineram Paulum, *uiderā* Grac-
7 *chum. de eodem, legunt quidam,* Caium. QVAE *consenuisse uidebantur.)* Veneti, Consanuisse. *atq; ita alij quoq;,*
8 *ut sit simile illi,* Maturuisse. PRO *tuis maximis.)* Alij, Maximiß. *ut,* Multiß. *superlatiuo uno de alio facto.* VT *ad omnia quæ tui uelint, ita sim præsto, ut me non solum omnia debere tua causa, sed ea quoq; quæ non possum, putēt.)*

Alij,

Alij, quæ tu uelis, & , quæ non possum , putem. Sed utrouis modo legas , sanè familiarius hoc perscriptum esse accipiamus necesse est. Nam *debere quæ non possit, certe in eo sunt, debere omnia.* CASVS & *Natura in bonis domin.)* 12
Veneti & alij, *In nobis : atque ita quidam emendarunt locum in* Oratione *contra* Rullum *ad populum, ut ita facerēt, Non ingenerantur hominibus mores , tam à stirpe generis ac seminis , quàm ex his reb. quæ ab ipsa natura nobis & à uitæ consuetudine suppeditantur.* CIRCITER *horam decimam noctis.)* Veneti, *Circiter hora decuma. Et mox* A Chilone, *alij, Cilone. Cilones autem* Latini *dixere, imam frontem qui proiectiorem haberent.* QVAN- 13
QVAN *enim nulla me ipsum priuatim insignis pepulit iniuria.)* Alij, Perculit. *quod nequaquam displicet.*

ETIAM *illa, quæ minim.)* Alij *rectius, ut puto,* Vel *illa. Et mox, pro,* Quoscunq; *uiros,* Veneti *habent,* Quascunq; *uires, minime abhorrente sensu.* AVT *re efficere posse.)* 14
In aliquib. exemplis, Posse *, omissum. In* Veneto *ita legitur,* Re efficere, *si possis.* NOVARVM *me necessitudinum fidelitate, contra ueterum perfidiam, muniendum putaui.)* Alibi, Necessitatum. *sed in hoc nihil momenti. quod uerò in quibusdam legitur,* Contra *ueterum inimicorum, falsum inculcatumq; esse facilè apparet paulùm modo attentiori.*

LIBRI QVINTI.

MIHI *ignoscas.)* Alij, *Peto ut mihi ignoscas , quæ scriptura suspecta est. atque* Veneta *max. placet: Vt mihi ignoscas , repetito intellectu uerbi,* Velim. ET *ut sunt leues* 2
eiusmodi homines.) Veneti, *Et ut sunt leues ab eiusmodi homine , à me desp. dicit autem contumelias à tali profectas.* AD *te scribere sum coactus.)* Verius *, ut uidetur,* Veneti, *Sum conatus. uix enim se ausum scribere* 3

super

superius quoq; paulò innuit. PVBLIO Sextilio.) Ven. & alij, P.Sextio, seu Sestio. Sed & Procos. quidam mutarunt in, Quæstori. MILIB. nummûm XXXV.) Veneti, XXXV. de quo loco & Victorius, & iam antè alij doctiss. uiri disseruerunt. HOMINI semissis.) De hoc quoq; loco eruditorum disputationes extant. Veneti, Omnino semissibus. Alij, Hominum semissis. tali quodam sensu, Pecuniam esse quidem caram, sed nihili & futiles homines uiles,

7 Sed enim amplius quærere de hoc loco placet. ME multo minorem.) Ven. Tamen non multo min. Sed plerique

8 libri ita, Me non multo minorem. SVSPICIONE uiolenta,) Id est, Turbulenta. Sed Ven. Violata. Sed uerbum, Interciderunt, notabitur, quod significet, Interiecta sunt, cum aliàs interitum & abolitionem notet.

9 VARDACI esse.) Ven. id quod uerum uidetur, Cum Vardæis. Et mox, nisi in Dalmatiam, Ven. Nisi si in Dalma-

10 tiam. QVI tot ingenuas &c.) De hoc loco Victorius dis-

12 seruit. Et paulò pòst, cum hic, tum alibi antè, pro, Simul uerò semissis homo, Simius non semissis homo. pro futili & nullius pretij, ut suprà, Hominum semissis, si uera lectio esset. Paulò pòst, Si mehercules Appium haberem. Veneti Appij os hab. A' qua te affici.) Veneti Flecti. unum pro altero suppositum apparet. Et mox, Themistoclis fuga. Veneti rectè, Themistocli, ut Archonidi filiam. Quærendum autem quam fugam reditum'q; dicat Cicero Themistoclis: non enim certe redijt ille, quamuis, ut Thucydides scripsit, aduersis uentis delatus fuerit rursum ad classem Atheniensium. Sed hoc reditum uocare certè non possumus. Quapropter considerandum an non & hoc inter ἁμαρτήματα quæ μνημονικὰ dicũtur, numerandum esse uideatur, ut in animo tum fuerit Ciceroni cum hæc scriberet, Alcibiadis historia, neque aduertens ipse nomen

men posuerit Themistoclis. De Alcibiadis enim exilio & fuga è Sicilia, deq; illius reuocatione & reditu historia est illustris & copiosa & apud Thucydidem, & Xenophontem lib. I. ἑλλωικῶν. IVCVNDISSIMAE lectionis uoluptate, quod mihi.) Veneti non certè peius, ut puto, ita, Iucundißima lectionis uoluptate, quo mihi acc. Itemq; mox pro, Qui quid sis, illi, Qui qui sis. NEC minor enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus.) Veneti, & alij, nec minus uerè, ut credo, Perhibendus autem, id est, memorandus & prædicandus. QVOD uinculum quæ res deest 15
nostræ coniunctioni?) Veneti, Quod uinculum quasi deest, ut sit, quasi, quodammodo. Ad Atticum VII. propè similiter legitur: Quantum quasi sit in trientis triente. Maximè 17
etiam amici tui consc.) Rutilius deprauatum locum animaduertit. Veneti ita restituêre, Et maximè animi tui conscientia. IDq; una sententia, eaq; dubia potentia al.) Veneti, 18
Id quod una sententia. Rutilius, Potentiæ, tertio casu legit: atque ita quidem omnia planiora fuerint. ET cum ali- 19
ter eccid.) Veneti, Aliter res eccid. Et in fine epistolæ Veneti sic habent, Atque eodem, nec continuo poterit: hoc sensu, Si tibi quod mihi placebit & eodem proficisci uoles, nec continuo tamen hoc fieri poterit: ut illud ad Lentulum, Poterat utrumq; præclarè, si esset fides, si grauitas in Consularibus.

LIBRI SEXTI.

TAMEN uereor ne consolatio ulla poßit uera reperiri.) Veneti & alij, Nulla, id quod pro, Vlla, reponendum. Nam non hoc dicit certè Cicero Metuere se ut nulla consolatio uera, id est, firma & ualida, sed ut omnino aliqua huiusmodi reperiri poßit. NOSTRAEQVE digni-

tati

tati uidebamur sequi, nec cum id fit. QVAM quod
3 res.) Veneti, Quàm quo res. de quo uocabulo & suprà ali-
6 quid à nobis dictum est. QVAS tibi etiam pridem Essedi.) Venetus liber & alij, ut puto, rectè, Quas tibi etiam pridem & sæpe. Sed in Aldino exemplo est, initium Epistolæ, Non uereor: ut dicat, non uereri ne alia sua officia desiderentur à Cæcinna, tantum de literis ut se excusare debere uideatur. SI te ratio quædam huiusce.) Alij, Vetustæ. Ego Venetæ scripturæ assentior, quæ est, Ratio quædam Hetruscæ discip. id est, Aruspicinæ, ut notum est. EX alitis uolatu.) Inuolatu: & mox pro, Somnijs, Soniuijs Victorius reponit. VT spero, uel potius, ut prospicio.) Ven. & alij, Perspicio, idq; est uerum. Corrigit enim quod dixerat, Spero, in quo dubitatio inesset. Et clausulam epistolæ scripturæ Venetæ probo hanc, Vt cum firmitudine animi tui te, tum etiam spe optima sustentes.
8 RE aut impetrata, aut quod spero, al.) Veneta luculentior lectio, Re aut imperata, quod spero, aut al.
9 NIHIL attinet me plura, &c.) Huius loci ueritas hæc est, suffragante & Veneto Exemplo, Nihil attinet me plura scribere, quàm (uel sanè, quod) mihi necesse sit eius salutem & fortunas quibuscunque rebus possim tueri tu ui-
10 des. In Venetis Trebiano inscribitur hæc epistola. ET quàm ego uellem.) Sic censeo hunc locum legendum, Et quàm ego uellem recuperas fortunam & dignitatem tuam: mihi non minori curæ est, quàm tibi semper fuerunt casus mei: astipulatur & Venetum exemplum. Et postea, Quasi deuincti, elegans scriptura est Veneta, Casu deuincti.

ANTE misissem ad te literas.) In Venetis hoc nouæ epistolæ exordium, inscriptæ & ipsi Trebiano. Et ita certe uidetur. Confudêre autem diuersas sæpe librarij epi-

ſtolas,ut in ijs quæ ad Atticum miſſæ ſunt manifeſtè apparet.
QVEM *illi' appellabant tubam belli ciuilis.)* Veneti, 12
Quam. Sed utram ſcripturam reijcere meritò poſſe uidear,
non habeo. & in fine epiſtolæ, Vnum profugium, Perfu-
gium malim. QVORVM *quidem uirtute.)* Veneta exē- 13
pla rectiſs. ſe habere hoc loco uidentur, Quorum quidem
uirtus & pietas & amor in te ſingularis,& aſsidua & per-
petua ſalutis tuæ cura, tantum proficit, ut nihil ſit quod non
ipſum Cæſarem tributurum exiſtimem.Sed ſi tardius ſit &c.
CAETERVM *is mihi.)* Ven. *Cæteroqui mihi,* Et po- 19
ſtea,In quo ſit ſpes, Veneti, *Species,ut* Maro: *–Neq; enim*
ſpecie,famá'ue mouetur.

LIBRI VII.

LICITATOREM *potius apponam.)* Hoc Rutilij Epiſt.2
placuit. Veneti & alij ferè libri, In licitatorem potius po-
nam. MANIBVS *gipſatiſs.)* *Veneti mutata g. lite-* 6
ra, in c. dicit autem, Illa manibus gipſatiſs. id eſt, candidiſs.
prædita,ut,

Ille Quirinali lituo puraq; ſedebat
Succinctus trabea.

INTERMISSIONIS *literarum.)* Veneti, Epiſto-
larum. utraq; dictio idē notat:& eligēda altera ſi eſt,noſtram
malim. NON *minus quàm* Philoctetē.) Veneti, Non nimis 15
quàm φιλοθέωρον. Alij, Nō nimis quàm φιλοθέωρον,ut Op-
pidoquàm,Sanequàm:*ſed hæc figura ſermonis minus fortaſſe*
Ciceroniana *uideatur. Illud.* Non nimis φιλοθέωρον Victo-
rius probat: & eſt ſanè ſenſus de his uerbis euidens. Sequi
tur uerſus trochaicus tetrameter catalecticus, de ueteri ali-
qua , ut uidetur, Latina *fabula. Vſque quaque ſapere opor-*
tet:id erit telum acerrimum. FRVCTVOSISS. *tibi ſit*
quàm mihi.) Veneti *& rectè quidem,* Tam *fructuoſiſs.tibi ſit*
quàm

quàm mihi, id est, tam tibi quàm mihi sit fructuosiss.
14 QVOD præsenti tibi propè subnegaram, non tribue-
re certe id absenti potui.) Veneti ita, Quod præsenti tibi
propè subnegarem, non tribuerim certè id absenti debere
non potui. Sed & his uerbis sensus nescio quomodo implica-
tur. Quare sic legendum hunc locum iudico, Quod præsen-
ti tibi propè subnegaram, non tribueram certè, id absenti
debere non potui. Quod enim non persoluerit præsenti
Trebatio, id absenti persoluisse dicit, ut suprà in Tusc.
21 Sed tibi uideo non posse deberi. HABERE profugium.)
Perfugium uerum puto. de quo uocabulo suprà quoque ali-
24 quid dictum. EXEDRIA quædam mihi noua.) Ve-
neti inseruere aspirationem, & fecerunt Exhedria. Sunt
autem Exedria diminuta uoce ab exedra, quidam ædifi-
ciorum ueluti recessus, & excurrentia spatia cum sedilibus,
cuiusmodi porticibus solebant adiungi. EA porrò ne-
gat.) Vera lectio Veneti & aliorum librorum, Eam porrò
negare, σχετλιαςικῶς. Vt Adeon' esse impotenti animo. &
30 apud Ciceronem quoque alibi sæpius. INTER uos se-
nes emptionales.) Alij, Auctionales, quidam, Concio-
nales, alij etiam aliter. Venetam lectionem nos sequimur,
Senes coëmptionales, id est, qui factitarent coëmptiones.
31 NE tantum semen urbanitatis.) Veneti, Tamen, ele-
gantius ut uidetur, & similem mutationem suprà quoq; an-
notauimus, & sic legunt eruditi uersum Virgilianum in
quarto, -si quis mihi paruulus aula Luderet Aeneas qui te
33 tamen ore referret. EST enim mihi, ut scis, in maiori-
bus.) In amoribus, uerum est. ut Att. Dionysius nobis est in
34 amoribus. falsò enim scripsere aliqui, In moribus. NE
plurib.) Veneti, Perinuitus. Rutilio placet, Ne perlegerem.
Suspicemur & nos aliquid uerum esse, Ne parum lubens.

SED *susurrationes.*) Veneti, *Susurratores. & mox,* 34
Sed inter paucos, quos tu nosti planè, secreto narrantur.) Veneti & alij, *Quos tu nosti, palàm secreto narrantur: ut hoc dicat Cælius affirmari, & non dubiè dici illa, sed tegi & celari. Ac nostra quidem lectio sanè suspecta est, hæc uerò non nimium improbatur mihi.* SUBROSTRARII.) Veneti, *Subrostraui, à rostris quibus de hostium nauibus detractis exornatum forum esset, deductum uocabulum, Rostra, Rostrarij, ut Retia Retiarij, Flammea Flammearij, ut hæc forma retinẽda esse uideatur.*

SCHOENOBATICAM.) *Alij, Epibaticam, Victorius, Embaneticam, quæ uox sanè de origine quam ille tradit durius cadit.* IN *competitorem nobilem, & ignobilem* Epist. 2.
egentem.) Veneti, *Agentem: sed nostra lectio in simplicitate quadam optima fortasse sit. Paulò pòst, Quod ad pantheras attinet. In Venetis additur, Rogo, sine caussa, ut puto: nam illa est ἔκλειψις elegans. In fine epistolæ, pro, Reddet, Veneti, Dedit. Animaduertitur autem utroq; tempore ueteres in huiusmodi clausulis usos esse, diuerso quodam respectu, scriptionis & oblationis.* SANE *quàm multis* 4
incutit.) Veneti, *Sanè quàm incutit multis: ut non dubium sit, quin Sanequàm complexim pronuntiandum sit.* BELLISS. *enim.*) Veneti, *Leuissimè: hoc simplicem habet reprehensionem, illud nostrum εἰρωνείαν.* CUM L. Lollio 8
transegit, & rel.) Alij, *Cum L. Lollio transegisset relat. sed hæret sensus in utrauis scriptura.* ANTE *secundo loco expositum Senatuscons.*) *Vbi nostri & alij libri has habent literas, S C, A. pr. C L. quæ significant senatusconsulti autoritates. pr. C L, &c. in Venetis sunt L. V. pr. C L. in quib. sanè conijciendis hærere nos fatemur. Cum enim*

significari ijs, Lectum *uniuersis*, *incidisset*, *mox hoc minus bellum est uisum, ut aliud, si retinere* Venetam *scripturam uelimus, excogitandum esse arbitremur.* Mox uero, Scribæ, *haud dubiè falsum.* In Veneto rectè, Scrib. *id est, scribendo.* Paulò pòst, *Ancapito, putat* Rutilius *esse* A. N. Capito, *id est,* Attei *nepos.* Nos *arbitramur,* A N. Capito *esse,* Anneus, *ut totum ita fiat.* L. Atteius L. F. Anneus Capito:

14 *sed fateor nondum satis hoc firmum uideri.* QVAMDIV *ciuiliter sine armis certetur.*) Veneti, Cernetur: *quod si placet,* Cernatur *omnino scribendum erit, id est,* decernatur, *ut,* Inter *se coijsse uiros, & cernere ferro.* QVAS *ferrum & uis uindicabit.*) Ven. Iudicabit, *id est,* Dijudicabit: *id est,* κρίνει, ἤγουν διακρινεῖ, *ut* Xeno-

15 *phon,* αἱ μάχαι κρίνονται μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς. VERNA *propugnaturus.*) Veneti, Venere prognatus, & Victo-

17 *rius probat.* ERGO *me potius for.*) Alij, Ergo'ne potius. Veneta *longè ab alijs omnibus scriptura discrepat, quam subijcere uisum,* Ergo me *potius in* Hispania *fuisse tum quàm* Formijs *cum tu profectus es ad* Pompeium? Quod *utinam ut* Appius Claudius *in ista parte* C. Curio *cuius amicitia me paulatim in hanc perditam caussam imposuit.*

LIBRI IX.

Epist. 1. A quib. *antea delectationem modo solatium &c.*) Hic *locus in* Venetis *ita perscribitur; ut uidetur, eleganter:* Victorius *certe ueram esse scripturam de fide librorum ueterum affirmat,* A quib. *antè delectationem modo petebamus, nunc uerò etiam salutem.* Non deesse, *si quis adhibere uolet, nō modò ut architectos, uerū etiam ut fabros ad ædificandā remp. & potius libenter accurrere.* Si nemo utetur *opera &c.* Idem *& de uerbo;* Nauare, *ambigit.* Quod *sanè, nisi ueterum exemplorū scriptura obstet, rectè poterit retineri,*

tineri, in repetitione operæ, cuius nomen paulò antè usurpaſſet. QVAE tua eſſe audicro.) Veneti, Quæ'ue audiero: quæ lectio ſenſum euidentem habet. SENTENTIAM meam & animum meum perſpectum circa curam ualetudinis tuæ quam tibi eſſe gaudeo.) Hæc in Veneto omnia uerba omiſſa ſunt, notato loco ſigno mendoſitatis. Ac ſanè alij aliter ſaucios hac in parte libros Ciceronis ſanare conati fuere. Sed ſine ope ueterum exemplorum, præſertim mutila cum ſcripta ſunt autorum, quid fieri poſſit non uideo. Nobis ſemper cum alia attendenti ſuſpectam reddidere hanc lectionem, tum obſtitit illud Circa, quod nequaquam loco poſitum eſſe exiſtimarem. Quare preterire hæc ut aliena & inculcata poterimus. NAM etſi non facilè.) Haud dubiè legendum, Tametſi, ſubiecta hac quaſi correctiuncula ſuperioribus. Falli enim fortaſſe ſe ait poſſe, qui uerè ſe credat ab illis amari, cum hoc niſi in periculis certò cognoſci nequeat. pro, Igne, autem in Venetis, Igni legitur. ILLE uerò te putabat.) Ille Baro, Veneti: de qua uoce antè aliquid dictum, & hoc loco Victorius copioſè diſſeruit.

6
16
17
27

LIBRI X.

ET multæ impenſæ opus fuit.) Alij rectius, ut uidetur, Et multæ impenſæ opus fuerunt: ut Cicero Curioni, Dux nobis & autor opus eſt. ET ego ei literas tuas dedi.) Veneti ἐλλειπτικῶς, At ego ei literas tuas. idq; mihi admodum probatur. QVOD legatos fide Lepidi dimiſſos ad me in conſpectum uenire uetueram.) Malo cum Venetis ſic legere, Quòd legatos fide Lepidi miſſos, ad me in conſpectum uenire uetueram. QVO die Panſa in caſtris & Hircius.) Veneti, In caſtris Hircij. Et mox, Trigeſimam quintam; Veneti, Quintam trigeſimam. Sed no-

Epiſt. 8.
12
23

30 *stra lectio usitatior est.* QVAS Narbone habuisse *dicitur. Simularem planè necesse erat.*) Veneti ita. QVAS Narbone habuisse dicitur similes: palparer planè necesse
33 erat de qua scriptura disseruit multa Victorius. Epistola XXXIIII. In Venetis est XXXV. id est, hæc illi anteponitur: atq; ita fieri oportere puto. In ea autem quæ sic, XXXIIII erit, Ven. pro, Ego quoq; ualeo, rectè, nisi fallor, Equidem. Et mox, pro, Antonianos, Antonios habent.

LIBRI XI.

SATIS *in tempore ad eos accedemus.*) Veneti, Satis tempore, aduerbialiter. Vt Plaut. Sed si uenturus, tempori. & rursum, Venias tempori, mutata e litera, in literam i, ut here heri, uespere & uesperi. In Terentiana tamen
Epist. 3. Heautõtim. legimus, In tempore ad eã ueni. DEOS *quæsumus.*) Veneti, Quæsimus. Et hoc sanè uerum esse apparet: sed illud, Quæsumus, fecere, ut opinor, sicut, Optumus.
10 MIHI *fuit sestertiûm quatuor milib. amplius.*) Venetis, Sestertiûm mihi fuit quatuor M. amplius. Nihil reperio quod aliud putem accipiendum quàm quater mille sestertia; sibi fuisse dicere Plancum. Figura tantum sermonis nonnihil obstat. Nam esset quadringenties. De nummis quidem
12 sestertijs intelligi planè non potest. Itaq; homines alij fracti sunt.) In Venetis, Alij facti sunt: sensu nequaquam incom-
14 modo. EXPLORATA *tua uictoria, tua præclara Mutinæ eruptio.*) Veneti, Exploratæ uictoriæ tua præclara Mutina eruptio. Sed hanc compositionẽ iam reprehendent, ut & illam reprehenderunt aliqui Maronianam, At regina pyra penetrali in sede sub auras Erecta. Nos tamen hoc nõ debebimus pati obstare nobis, quo minus si uideatur, Vene-
14 tam lectionem sequamur. CVIVS *exitum ne extimescã tuæ partes sunt.*) Veneti quod probatur mihi, ita, Cuius exitum

exitum non extimesco. Tuæ partes sunt. Vt ad se minimum
pertinere exitum significet Cicero: hoc adiuuant quæ in
alia mox epistola scribuntur, Cupio iam uigiliam meam
Brute tibi tradere. PARVM tibi ante subiras.) Veneti 24
& alij, Narro tibi: quæ scriptura & Rutilio placuit, &
ab illo exemplis est confirmata.

LIBRI XII.

MODO facti uestri gloriam cum mea laude commu- Epist. 2.
nicem.) Veneti, Communicet. ut ad Antonium criminato-
rem referendum sit. QVANTVM opus est.) Imo certè, 11
ut Veneti, Quantum est in te. TE ipsum uicisti.) Vene- 13
ti rectius, Te ipse uicisti. Et mox, Nunc te omnium max. ci-
uem. Per est bellè hic locus perscriptus in Venetis hoc mo-
do, Nunc te omnium maximè ciuis & mi carissimè (id quod
maximè Reip. tenebris comperisti) nunc te habebimus, &c.
NON modo te cui omnia.) Veneti, Non modo tibi, ut 28
astruatur huc, ignotam esse arbitror.

LIBRI XIII.

IN perpetuum obligare liceat.) Veneti & alij Velis: Epist. 4.
quod uerbum cur amotum, inq; locum illius illud alterum
repositum fuerit, miror. QVICQVID mea caussa fa- 5
ceres, ut id C. Curtij caussa cum feceris meum existimes.
Quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato.)
Alij, Putabo. Sed potius locus totus ita legendus, Vt id C.
Curtij caussa cum feceris, me eum existimes, quod ille per
me habuerit, id me habere abs te. Hoc te ueh. HVIC epi 22
stolæ.) Aliqui non Seru. Sulpitij nomen, sed Octauij præscri-
psere. In quo quid illos mouerit licet, qui uolet, consideret.
SED non plus duob. aut tribus mensib.) Veneti ele- 30
ganter, Duobus an trib. mensib. & alibi quoque similiter
Cicero ut hoc annis an mensibus? CVM primum in

48 *eam inſ.)*Veneti,*Primus, uerius. Nam Cyprus Ciceronia-*
nis temporib.in ditionem & ſub poteſtatem populi Rom.
fuit redacta,adempta Ptolomæo *regi.*

LIBRI XIIII.

Epiſt.2. A' *Veſtæ ad Tabulam Valeriam.*)*Nota quidem ſermo-*
nis figura ἐκλειπτική,*ut,* ἐν ᾅδου. *Sed Veneti,* A' *Veſta ha-*
bent,ut Virgil.

Et formidatus nautis aperitur Apollo.*Item,*
Attollit *ſe diua* Lacinia *contrà.*

3 CVM *dolore conficior tum etiam pudore.*) *Veneti,*
*Conficiar.*Atq; *puto aliquos quaſi inconſequentia oratio-*
nis offenſos ita mutaſſe,ſine cauſſa quidem,ut alibi diſſerui-
*mus.*Paulò *pòſt,& eas literas Deſippo dedi.*Veram *ſcriptu-*
4 *ram eſſe iudico,* Dexippo. QVOS *ego ſemper ſerua-*
ui.) Veneti, *Quibus ego ſeruiui ſemper: ut ſit ſeruiui*
inſeruij,& Pompeius *notetur.*

LIBRI XV.

5 CILICIAM *autem firmiorem fore ſi equitatus no-*
ſtri.)Veneti, Si *æquitatis noſtræ particeps facta eſſet.*Nam
antè ſe durius habitam & afflictam fuiſſe illam prouinciam
alibi quoq; ſignificauit. SECVRITATEM *diligen-*
tiamq; ſocijs & reipub. præſta.) Veneti, *Seueritatem ha-*
bent,perſonæ Catonis *aptius,& omnino ut uidetur,conue-*
14 *nientius uerbum.* PROPTER *ſummam eius hum.*)Ve-
*neti,*Summam *ſuam hum.& uerum hoc eſſe dubitari non*
neceſſe fuerit,ſimuleſq; locutiones quàmplurimas colligere
non erit magni laboris, ſi quis fortè requirat. ET *is*
quidem utilior.)Alij Exilior. *& ſanè pro hoc unde illud*
36 *irrepſerit,miror.* QVAE ille Gargettius, *etiã ante* De-
mocritus εἴδωλα,*hic ſpectra nominat.*)Hæc *uera ſcriptu-*
*ra eſt.*Nã Gargetius *populi,id eſt* τοῦ δήμου cognomine Epi-
curus

curius, ferè Democritum in Physicis secutus fuit, quibusdam quidem, ut Cicero uult, mutatione corruptis. Fuit autẽ Democriteum omniũ rerum quędã simulacra obijci nobis, quibus occurrẽtibus hoc uel illo modo afficeremur, ideoq́; censebat optandum cõmoda illa ut nobis de aëre circunfuso, & familiaria ac bona offerrentur, non improba neq; immania.

LIBRI XVI.

EPISTOLAE primæ.) In Venetis est talis inscriptio, TVLLIVS ET Cicero & Q. Q. Vt intelligamus scriptum communiter à patre & filio utroq;, M. & Qu. Ciceronib. & M. & Qu. FF. Etsi epistolæ oratio hoc non indicat. IS dies fuerat Nonis Nouembr.) Veneti rectius, ut opinor, Nonæ Nouem. QVOD ad ualetudinem opus sit.) Qua, alij, idq́; retinendum uidetur. QVAE caue te perturbent.) Veneti, Quæ ne te perturbent: utraq; lectio satis commoda. NOS ad summum.) Hoc quidem nihil est. Veneti ita, Nos assumus: ut hoc dicat, Se ad ea quæ pollicitus fuerit præstanda paratum esse. ET aliud si quid potes.) Veneti, Si quid potest, ut intelligatur, fieri. de qua locutione & suprà diximus. Et mox sequente epist. Libros compone, uidelicet cum Metrodoro lubebit.) Plenior lectio Veneta, Libros compone, indicem cum Metrod. lubebit, ut intelligamus, Conficies, aut Mittes.

Epist. 5.
6
12
13
20
21

CVM ego mihi nunc &c.) Hic locus in Venetis multo perscriptus elegantius, hoc modo, Quomodo ego mihi nunc, ante oculos tuum iucundiss. conspectum propono? Videor enim uidere ementem te &c. 22

PRO QVINTIO ORATIO CICERONIS.

ITA quod mihi consueuit in cæteris caussis &c.) Ex hoc loco nescio quis refellit Gellium qui scripserit pri-

mam caussam pro Quintio egisse Ciceronem. Sed Gellius hoc non scripsit. Cuius hæc sunt uerba lib. 15. cap. 28. Dinumeratis quippe annis à Qu. Cæpione & Qu. Serrano, quib. Coss. ante diem III. *Non. Ianua. M. Cicero natus est, ad M. Tullium & Cn. Dollabellam, quib. Coss. caussam priuatam pro Quintio apud Aquilium Gallum iudicem dixit, sex &* XX. *anni reperiuntur.* Ipse *autem Cicero in* Bruto *se ait primam caussam publicam egisse pro* Sexto Roscio. *Has autē nostras annotationes, & ipsas potissimum ad* Venetum *exemplum accommodauimus, quod emendationem Naugerianam se complexum esse profitetur.*

PRO SEXTO ROSCIO AM.

SANGVINE *demißius.)* Veneti, *Haud remißius: commodo sane sensu, hoc: omnes sperant tam acriter & uehementer exerciturum esse hanc quæstionem, quàm manifesta sunt maleficia, & frequentes cædes.* CVM *ante hanc pugnam tiro esset, quod sciam.)* Veneti, Tiro *esset scientia, ut hoc intelligamus, imperitiorem minusq; uersatum adhuc in malis facinoribus, scelere tamen & audacia hoc consecutum, magistro ut superior esset.* QVORVM *nihil perniciæ caussa.)* Veneti, *Pernicij. & est eadem ratio utriusque scripturæ, siquidem de usitata flexione perniciei, quæ minus bella uisa ueteribus, ut Cicero ostendit in Topicis. Quas Græci* ἰδέας *uocant, nostri si qui hæc forte tractant, species appellant, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim ne si Latine quidem dici possit, specierum & speciebus dicere. talia sunt Virgiliana, Libra die somniq; pares. uel, Dij. &, Munera lætamq; die. uel, Dij. Gellius tamen in superiore Vergilij loco, dies, mauult. Cuius dissertatio de huius formæ nominibus extat libro 9. cap. 13.* II *qui recuperarunt.)*

rarunt.) Alij, Receperunt: idq́; melius esse iudico, quamuis ne illud quidem uerbum alienum uidetur. Similiter enim planè dixit in Bruto, Recuperata Respublica. NISI *etiam crudelitate sanguinis praeditus.*) Quemadmodum Praeditus audacia. Sed Veneti habent libri, Perlitus.

PRO Q. ROSCIO COMOEDO.

LEVE & *tenue hoc nomen* HS. CCCLIII.) Nomen quidem debiti perscriptionem & ueluti contractum significare non ignotum: sed illa summa in Veneto aliter notata ac rectius quidem, ut apparet: magna enim esse debet. Sic igitur in Venetis, CCCIↃↃↃ. Haec notare centum milia legimus in libello Prisciani de Pond. & Mensuris. Atque haec scriptura similiter in Veneto exemplo ubiq; in hac oratione seruatur. Summa ergo erit pecuniae, centum milia sestertiûm, id est sestertiorum nummorum. Quae redacta ad nostrorum temporum pecunias efficiunt circiter duo milia Coronatorum & quingentos. DE *his ipsis* HS. LIII.) In Venetis IↃↃↃ. Quae nota est quinquaginta milium, dimidiatae summae superioris. atque haec quoque scriptura in Veneto similiter totam per orationem ut illa altera custoditur, & uera est. ADVLTERASSE *sese negat.*) Quid est adulterasse? Planè autem dicit Cicero de tribus modis quibus certum peti poßit. Dato, expenso lato, stipulato: ut suspicer illud, adulterasse, debere esse annumerasse, uel ut aliqui quondam scripsere, Adnumerasse, id est, Dedisse. CVR *non arbitrium pro socio adegeris.*) Immo ita, Cur non arbitrum pro socio adegeris: de qua figura sermonis & alibi à nobis dictum. NVLLIVS *consilij.*) Alij, Nulli pro, Nullius, antiqua quadam nominis flexione.

ACTIONVM VERRINARVM II.

RENVNTIATA *est tota conditio.*) Hoc uerum puto. Veneti tamen & alij quidam libri, Conductio habent: haud scio an pro Condictio. Nam hæc inter se permutata sæpe uocabula scimus, & nescio an non sint diuersa, quãuis Grammaticis secus uideri sciam. QVANTVM *sibi ac liberis suis satis esse arbitretur.*) Veneti, Arbitrarentur: id quod mihi nequaquam displicet, ac potius admodum probatur. CVM *accusatio nostra in obliuionem diuturnitate adducta sit.*) Veneti & alij, In obliuionem diuturnitatis: neq; aliam lectionem subijci oportuisse existimo.

NECESSARIO *fieri intelligat.*) Veneti, Intelligant: æque obscuro sensu, quem una particula inserta poterat perficere, ut hoc modo totus hic locus legeretur, Nunc id quod facimus (ea enim ratione facimus ut malitiæ illorum consilio nostro occurramus) necessariò fieri intelligant.

ACT. VER. III.

DISPOSITA *sub dio uidimus.*) Veneti, Sub diuo: est autem, ut puto, Aeolicè interposita, v, litera, ut Digamma, quemadmodum & in Dauo. SIT *hoc genus aliquod minimè probandum.*) Id est, Huiusmodi aliqui homines. Sed Vene. ita, Verum sit hoc genus aliquid minimè probandum, id est, Huiusmodi sit aliquid quod nemo probare poßit, id est, In hoc genere, quasi Græca figura ἐλλείψεως. Quod tamen minime mihi arridet, & si propè simile omnino reperitur ad Atticum, Orationes, aut aliquid id genus soleo scribere. IACTATVR *domi suæ uir primus.*) Vt hoc, Primam scio dices si uideris, &, Et suauia in præsentia quæ essent, prima habere. & Maro:

Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.

Sed

Sed in Veneto exemplo est, Vir optimus. PROINDE *quasi excribendi potest.) Veneti, Perinde. Sed tam* Perinde *quàm* Proinde *ueteres in similitudinis significatione usurparunt, ut, quamuis unum sæpe de altero factum non ausim negare, scripturam tamen mutandam non ferè existimem.* SI *potest tibi dicto audiens esse.)* Id *est, tuo dicto, ut qui mihi hæres in medullis. Sed rectius* Veneti *& alij quoque nonnulli libri,* Edicto. QVOS *nunquam liberos homines duxerit, solitus sit app.)* In Ve*netis multo explicatior locus,* Quos *nunquam liberos putauit, libertinos homines solit. ut paulò antè,* Equi*ti* Romano *tam locupleti libertinus sit homo hæres?* O *modestum ordinem, quòd illinc uiuus surrexit. de* Liberti*nis enim intelligenda hæc omnia: &* Libertinorum *ordinem illum uocauit, teste* Asconio *quoque.* NONNE *argumentamur quo ista pecunia peru.)* In Veneto *exemplo,* Namquid. *fortè* Nunquid, *uerius.* EREPTA *esset facultas eorum, quos iste annuerat,)* Veneti, *Eorum, cum is an. Sed* Asconium, *Quos, apparet legisse, ut fortè uerum sit, Quos cum iste annuerat, &c.*

ACT. VERR. IIII.

VT *possim aliquo modo aliquando.)* In Venetis, *Aliquando, omittitur: & sanè de scriptura corruptiore cum utrunque à librarijs legeretur, ita in orationis contextum irrepsisse uideri posit.* DIONIS *hominis pudentissimi.)* Id *quod retinendum uidetur, cum* Veneti *& alij libri habeant,* Prudentissimi. QVO *de agitur ex iure æquum* P. *Seru.)* Veneti *sensu manifestiore, Ex iure, eum* P. *Seru.* ARGENTI *fabrefacti.)* Ven. *& alij quoque libri habent, Argenti benefacti: quod nescio quo pacto alteri & nos præferimus.* ID *quod uos* Romæ *cogn.)*

Satis

Satis plana de hac lectione omnia. Veneti tamen & alij, Item ut uos Romæ cogn. quod neque ipsum repudiamus.

SED *cùm genera quædam pecuniarum capiendarum comprobauerimus.*) Veneti, Comprobaremus, itidemq; alij. Sed apparet, hoc de, Comprobarimus, factum, & hoc contractum uerbum in nostris libris solutum esse. ANTE *ipsum Iouem in primo aditu uestibuloq; templi.*) Sic in Venetis libris: alij, Sepim, aut nescio quid habent. Ac fit in VI. actione mentio Sacerdotij Iouis, qui honos apud Syracusanos amplifs. esset. Considerandum tamen putauimus, an forte in archetypo fuerit talis quædam scriptura, quam imperiti librarij postea deprauarint, Ante ipsum Zena, aut, ante ipsum Zana, id est, τ̃ ζῆνα, uel Dorice ζᾶνα.

ACT. V.

IN *cubiculo socius.*) Veneti ac alij, In cubiculo solus, quod non incommodo sensu legi uidetur. IN *hoc homo luteus, etiam callidus & ueterator esse uult.*) Id est, Homo nihili: ut in Pisonem, Ex luto & argilla factus, & in VI. actione Luteum negotium, id est, futile. Sed Veneti & alij quoq; libri, Lynceus, perpetua Ironia. SVI *quæstus causa constituisse.*) In Veneto exemplo, Irrupisse: quod cuiusmodi sit, aut esse debeat, mihi quidem parum liquet.

CVM *tribus decimis pro una defungeretur.*) Id quod sese rectè habere sentio. Veneti, Defrugetur, id est, Carperetur, haud scio an sine caussa reposito uerbo, quamuis rustico, inusitatiore tamen & hoc loco translato.

EIVS *uocem improbam agnoscatis.*) Ita & Veneti, & uerum esse iudico. Aliqui, Probam, ἀφωνικῶς. quod cum aliqui non animaduertissent, Probrosam suppofuere. FVNDVM *elocatum esse dicebat, dabat iste iudicium.*) Veneti, Fundum eum locatum esse, dabat

bat testes,iudicium. forte legendum Dabat testes,iste iudicium. PRIMO anno uenierunt eius agri decumæ tritici medimna XVIII. Attidius istius &c.) Veneta lectio huic similis,prætcrquàm quòd in illa non est,Attidius, sed Accensus: quòd sanè placet. De numeris uerò quid & hoc loco & deinceps per totam ferè orationem fiet? Ego quidem eos qui diligenter attenderint facilè animaduersuros esse aliquam horum rationem existimo: mutare autem uel corrigere sine autoritate exemplorum ueterum, cum alicubi deprauatio manifesta sit, non ausim.

VIDELICET igitur non Turpioni lucrum datum,sed pete.) Veneti ita,Videlicet gloriatur. Non Turpioni lucrum,&c. SVNT hæc iam ad HS.CCCXL. mod.tritici.) Ita & Veneti & alij libri. Sed quis HS. locus? Verum à numeris abstinendæ manus,ac istorum supputatio relinquenda studioso lectori. Sine enim uel exemplaribus ueteribus & incorruptis, uel doctorum uirorum communicato studio atq; collata opera restitui non possint. EX EO fundo qui HS.dena meritasset.) Plautus quidem similiter Pseudolo, Quid meret machæra. Sed nescio tamen quo pacto hæc figura alienior uidetur, magisq; placet Veneta lectio hæc, Ex fundo cui HS.dena merces esset. MAXIMOSQVE agros populabatur Apronius, perparum ex illis magnis lucris ad se peruenire.) Veneti, Perparuum, συλληπτικῶς πῶς: id enim hac figura dicitur perparuum lucrum ex illis magnis lucris.

NON aliqua se simulatione populi Rom. existimationi hominum uendicasset.) Locum corruptum esse satis apparet. Veneti ita, Non aliqua se simulatione existimationi hominum uindicasset. Posse non incommodo sensu ita legi puto, Non aliqua se simulatione populari existimationi

mationi hominum uendicasset. NAM *si* XXX. *mod. tritici tu commotus non esses.*) Veneti *rectius*, DXXX. *sed & hoc considerandum.* QVID *accidit tandem, ut horum populorum agri frumentum eiusmodi te prætore ferrent, quod nunquam antea, quod neq; tibi, &c.*) Veneta *lectio elegantior, Quid accidit tamen, &c.* Et *ut nunquam antea.* PRAECO *qui adesse iussit.*) *Alij, Adire.* Veneti *minus rectè, nisi fallor, Abire.* M. CASTRITIVM *summo splendore, ingenio, gratia præditum.*) Veneti *& alij, Gloria, pro Gratia: quod & ipse cur mutare debuerit non uideo.* NAM *cum ex* S.C. *& ex legibus.*) Veneti *& alij, Ex Sicilia, non rectè, ut uidetur: quid enim sit, Ex Sicilia & ex legibus?* SED *ex coniunctione annonæ atque æstimationis.*) *Illud quidem Coniunctione, quid sibi uelit non est certè manifestum.* Veneti, *Coauctione, ut intelligatur precij multiplicatio.* NON *omnes, si quæ sunt præterea facultates, sed arat. &c.*) Veneti *eleganter & uerè, ut puto, Non hominis si quæ sunt, &c.* VT *post hæc tantas pecunias.*) *Planius* Veneti, *Ne posthac tantas pecunias Magistratibus uestris decerneremus, id est, Hoc decreto emptionis infinitas pecunias conficiendi potestatem daremus.*

ACT. VI.

NIHIL *apud ciuem Rom. denique, istum, quod ad oculos animumq; acciderit.*) *Id est, quod conspexerit atq; concupiuerit. Sed alia lectio quam &* Veneti *libri retinent mihi sanè placet, Quod oculos animumq; accenderit, id est, cupiditate permouerit.* MODO *ut bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab inuito.*) *Hæc mihi quidem admodum probantur: in emptionibus enim quantum ualeat potestas, quis non uidet? potestatem au-*

tem

tem dicit Magistratus, ut pro Cluentio, At neq; priuatus accusare, nec sedata iam inuidia uolebat. Videtis igitur non in caussa, sed in tempore ac potestate spem omnem accusatoris fuisse. In Venetis tamen *& alijs quibusdam libris*, Nihil pro potestate, *omissum.* SED *in suis nummis multos esse.*) Sic *&* Veneti. *Sed est locutio profectò alienior.* Et *quàm facilè potuit fieri, ut*, Eius, in, Suis *mutaretur?* QVA *iudicium est, communi arce sociorum.*) Q*uasi defensione & præsidio. Sed Veneti libri melior & euidentior lectio*, Q*ua iudicium est, communis ac priuatæ rei sociorum.* DICENT *quæ necesse erit ingratis.*) Hoc *uerum puto, ut pro* Q*uintio*, Extorquendum *est inuito atque ingratis quod non debet: apud* Plautum *Curculione, & alibi sæpe. sed* τετρασυλλάβως Ingratijs, *id est, non libenter.* Veneti *tamen & alij*, Gratis *habent.*

QVAE *malo integra reseruare, ut quàm minimum.*) Omnino *melior lectio* Venetorum, *sed & aliorum quorundam librorum*, Q*uæ modo integra reseruare uolui, ut quàm minimum.* QVOD *celari opus erat.*) Ven. *& alij*, Oportuerat. Quid *autem est aliud*, Opus erat, *nisi oportuerat?*

IN *Sicilia quidem cùm essem, sic à Centur.*) Veneti *& alij*, Siciliæ *quidem. & memorantur sanè de Cicerone similes locutiones.* Sed *ipse tamen de his ita differit ad* At*tic. lib.* VII. *ut præpositionem non esse omittendam, sentire uideatur.* Esset *autem illud simile huic* Vergiliano:

Aut Cretæ iußit considere Apollo.

NE *multa* HS. CC. *me, inquit, poposcerunt, dixi me daturum* C.) Hæc *est perquàm elegans lectio, & uera etiam uidetur.* Veneti *& alij ita*, Ne *multa* HS. M. *me, inquit, dixi daturum. quæ profectò summa pecuniæ in quamuis pretiosos scyphos nimia fuerit.* Sestertia *enim mille,*

fuerint

fuerint decies, id est, Coronati, ut nunc loquimur, circiter XXV. M. DIONYSIARCHVM *ad se proagorum.*) Hoc est, *summum magistratum uocari iubet.* Veneti *& alij*, Pardiorum: *sed re incerta, illud retinuimus.* Et *mox*, Vt *ipse de me detraham. elegantiora* Veneta, Vt *egomet mihi detraham. Sed illa tamen non possum improbare.*

QVI *non obtrusit aliqua ex parte monimenta* P. Scip.) *Alij*, Obstruxit, *id est, illa obscurauit: translatione ab ædificationibus ducta, quibus officitur luminibus, aut commoditati aliarũ ædium: idq; uerum puto.* ATQVE *illius fani antistæ.*) Vt, Propter *hospitæ huiusce consuetudinem.* Veneti *tamen* κοινῶς, *antistites: sed antistitæ legit & Priscianus libro quinto.* AC IAM *illa omitto.*) Veneti, Nunc *iam, itidemq; alij: sed nobis tamen nostrum probatur.* SIGNVMQVE *Apollinis qui* Tenites *uocatur.*) Forte à Tenijs. Veneti, Thesmotes. *sed de hoc cognomine nihil habeo dicere.* VT EX *marmore Iacchum autem* Paralum.) *Hæc uera scriptura*, Nam *quod alij, ut* Veneti, Parthalum *habent, ex eo, ut opinor, euenit, quòd in archetypo reperissent librarij inserta aspiratione*, Parhalos, *ut in* Exhedra *quoq; & similibus factum animaduertimus.* EORVM *tabulas exquirebam.*) Veneti *& alij*, Scribebam: *quod sensum minus commodè absoluere uidetur.* Excribebam *quidem erat planè aptum.* ATQVE *adeò cum iam non solum discessio facta esset.*) Veneti ἐναντιωματικῶς, At *uerò.*

ACT. VII.

QVI *in rebus non ita defendatur.*) *Alij*, In *reis. Sed Venetam scripturam probo*, Qui *nunc reus.* FVIT *ista respublica quondam.*) *Alij*, Responsio: *quod falsum esse apparet. Est & Veneta commodi sensus scriptura,*

Repreh

Reprehensio. LATOMIAS *Syracusanas omnes audistis.*) Sic est forma nominis usitata: sed alij Latumias, Veneti Lautumias, antiqua forma. Vt Laumedon, pro Laomedon: & mutata o, in u, quod in Græcis nominibus facere Latini consueuere, ut Πρίαμος, Priamus. Sic igitur Lautumiam illi ueteres, ἀντὶ τῆς λαοτομίας. SED *urbe portus ipse cingitur & includitur.*) Non possum hoc ullo modo reijcere. Veneti tamen & alij, Concluditur. NE *multa iudices, libertate, quam uos socijs dedistis, hac ille, &c.*) Veneti & aliorum librorum lectio uera est, Libertatem quam uos. ut hoc, Vrbem quam statuo uestra est. &, Populo ut placerent quas fecisset fabulas. VTRUM *ego desipio, & plusquam satis est.*) Veneti & alij, Et plus quàm satis opus est: quorum alterum de explicatione inculcatum uidetur. NON *ut aliquid ex huius bonis usurparet.*) Veneti uerius Recuperaret. TVVS *hospes Cleomenes hoc dicit, sese in terram esse egressum.*) Veneti & alij, In terra esse proiectum: hoc mutandum quidam putarunt, Esse profectum. Sed illa nostra lectio sane longe abducta uidebatur, non exponere tamen noluimus.

QVIBUS *argumentis se ad salutem uti arbitrabantur.*) Id est, quibus rebus demonstrare nitebantur se mercatores non milites Sertorianos esse. Sed Veneti non minus rectè, Quibus adiumentis se, &c. HAECCINE *plebi Roma. te prætore est constituta conditio.*) Hanc ueram lectionem esse nemo, ut opinor, dubitare poterit, quamuis Venetus liber, quem esse emendatiss. uolunt, & nos magnificimus, uulgarem retineat, Hæc in plebe Rom. te præt. non enim certe iacere hoc loco orationem oportet. VT *dubitationem aliquam crucis.*) Rectè, id est, ut tibi afferret dubitationem an crucis illum supplicio se statim afficere

g uelles.

uelles. Veneti non deterius, dilationem, id est, ut supplicium saltem differre uelles. VT ILLE *in dolore cruciatuq; moriens, peranguſto freto.*) Veneti *similiter: alij,* Fretu *: sed nos usitatius illud huic antiquiori prætulimus.* Et mox, Supplicio *affectum*, *nota figura sermonis.* Ven. *& alij,*Supplicio *affixum. de crucis supplicio minus simpliciter,*

PRO M. FONTEIO.

QVID? *si hoc crimen optimis hominibus denegare possumus.*) *Sanè fateor hoc me non admodum intelligere quale sit.* Itaq; *Venetæ lectioni assentior,* Optimis *hominibus delegare, id est,* Asscribere *seu,* Attribuere.

PRO A. CAECINNA.

IDEO *rem indignam non uindicari.*) Veneti, Iudicari, *quod non displicet.* VT IVS *ac deductio moribus fieret.*) *Sic &* Veneti,*& alij libri. Sed ueram lectionem esse apparet,* Vt *uis & deductio moribus.* Nam *quædam uis legitima erat in suo recuperando, quam moribus, id est, consuetudine facere solerent.* VT VOS *iudicetis huius rei interdictum atq; actionem in mentem maiori.*) Sic *&* Veneti *& alij libri, præter unum editum inter primas expreſsiones istas librorum, cuius mihi etiam lectio uera uisa est hæc,* Vt *uos iudicetis huius rei atque actionis in mentem maiori.* Nam *alicui fortasse hæc figura orationis ignotior fuit, qui illud interdictum inculcauit.*

ACTIO *est in autorem præsentem.*) Sed Veneti, In *actorem: ut intelligamus formula hac actorem uti solitum.*

AT *uerò ratio iuris interdictiq; ius.*) Veneta *hoc etiam loco probatur lectio,* At *uerò rationis interdictiq; ius non solum* Prætoris *sed ipsius etiam intelligentiæ dictata reclamare tali interpretationi, ut dicat quemadmodum alibi,* Si

tu

cu maluisses beneuolentiæ quàm litium iura perdiscere. TVM *illud, quod dicitur, si ueni, be * irrident:*) In Venetis mendi nota sublata locus integrè sic legitur, *Tum illud quod dicitur, sic uenire irrident. sed uereor ne sic quoque integritati suæ restitutus locus non sit.* FATEOR, *hoc interdictum prætoris uindicaui.*) *Aliqui ita,* Hoc *interdicto prætoris uindicari.* Veneti, Hoc *interdictum prætoris uiolaui.* NAM *qui hoc disputant, si id dicunt, non rectè aliquid statuere eos qui consolantur, nec hoc debent dicere iuri ciuili, sed hominibus stultis obtemperari non oportere.*) Alibi *hic locus non sententia quidem diuersa, sed oratione uenustiore ita reperitur perscriptus,* Nam *qui hoc disputant, si id dicunt, non ratione aliquid statuere eos qui consulantur, nec hoc debent dicere iurisconsultis, sed hominibus stultis obtemperari non oportere.* FVGARIS, *auerteris, non restitues * tu res, &c.*) Hic *totus locus in* Venetis *nulla indicatione deprauationis, commodius quidem perscriptus est, sed haud scio tamen an personatus non sit.* Illam *autem scripturam subiecimus:* Fugaris,auerteris,non restitues. Tum *statueretis uim in cæde solum non etiam in animo.* Nisi *cruor appareat uim non esse factam.* In *iure parum delictū esse qui prohibitus sit.* Nisi *ex eo loco ubi uestigium impresserit deiici neminem posse* Iuris *retinere sententiam, & æquitatem plurimum ualere oportere, uerbo ac litera ius omne torqueri, uos statuite* Recup. *utrum melius esse uideatur.* Atq; *hæc fortasse etiam meliora uideantur, si legamus,*Tum *statuetis. &,* Si *qui prohibitus sit.* VNDE *ui.*) Ita *& alij libri.* Sed Veneti *&* Gallici, Vnde *tu,de formula interdicti recuperatorij expositi* Digest. *lib.* XLIII. VNDE TV ILLVM VI DEIECISTI. Sed

 huius

huius tamen interdicti iudicatio est, VNDE VI. *Vnde deiectus est Cæcinna? ex urbe. Vnde deiecisti? ab urbe. Legendum ita, paululum suffragante & Veneto exemplo, Vnde deiectus est Cæcinna? ex urbe. Vnde Cn. Carbo? ab urbe. Hanc lectionem historiarum belli ciuilis quod inter Marium & Syllam gestum est, expositiones confirmant. Nam Cinnam primum Octauius ex urbe expulit, ex Italia autem Carbonem Sylla.* QVOD *negabas quenquam deijci posse, nisi qui in eo loco fuerit, nunc, qui posideat, etiam si non fuerit in eo loco deijci posse conceditis.) Hæc uerba sensum habent conuenientem: sed Venetam tamen & aliorum lectionem huic nostræ præfero, & ueriorem iudico, hanc: Quod negabas quenquam deijci posse, nisi in eo loco esset, nunc iam concedis, cum qui non posideat negas deijci posse.* DVBIVM *est, quin si Cesennia tum possidebat.) Dubium'ue est? malim. Veneti, Dubium non est.*

QVIB. *lege aut ratione.) Veneti, Quib. lege, aut Romana ciuitas, aut libertas, id quod sané probatur nobis.*

QVAPROPTER *si quid extra iudicium est quod homini tribuendum sit.) Veneti, Quod uirtuti hominis trib. sed suspicari aliquis posit hanc esse explicationem illius quod in nostris scribitur.*

DE LEGE MANILIA.

VSQVE *in Hispaniam Ecbatanis misit.) Ita & Veneti. Sed Ecbatana Mediæ fuisse constat, Mithridates aut Cappadociæ & Ponti rex fuit. Alij aliter, hanc, ut puto, ob caussam nomen mutarunt, é Lebetanis. Alij, Electuanis: de quorum neutro quid dicam, habeo.*

PRO A. CLVENTIO.

VENENVM *diebus paucis comparatur.) In Venetis & alijs libris, Comparatur, omissum est. Et inculcatum*

tum sane extrinsecus uix potest dubitari. POSSVNT *illud idem iudicium fuisse defendere.)* Veneti, *Fuisse non defendere. Sed sic legi, nisi fallor, hæc interrogatiue oportebit.* AC NE *ex facto solum sapientes illos iudicetis, sed ex hominibus ipsis.)* Veneti *pereleganter & uere, ut uidetur,* Ex nominibus ipsis, *ut celebria & sæpe memorata nomina dignitate præstantium uirorum intelligamus. Quemadmodum alibi,* Curios, Decios, Maximos, Fabricios, &c. *dicit.* AVT *illud afferant, &c.)* Notatus *locus signo mendositatis. In Venetis uideri potest correctus esse. Nam ut illud afferant nihil est quo de his duobus habuerint compertum, de cæteris comperisse.* IPSE *sua conscientia ad ignominiam alterius contentus non fuit.)* Veneti, *Scientia, idq; placet, ut alibi,* Ignoratio *futurorum malorum utilior est quàm scientia.* CVM *ille nihil aliud ageret, cum illa cuncta quæ tum erat nobilitate, nisi uti quicunq; rem iudicassent.)* Quæ *uera & recta lectio uidetur, usq; adeò ut dissentientes ab hac ascribendas esse non duxerim.* EST *enim sapientis iudicis, meminisse se hominem, cogitare tantum,)* In Venetis, Meminisse *se hominem, omissum: & nescio quomodo ab inculcatione mihi suspectum est.* ET *sestertiorum & auri quinque pondo abstulit.)* Apparet *sestertiorum numerum, quæ pecuniæ summa esset desiderari, ut spatiolum post illud nomen relinquendum fuerit.* PROPTER *uicinitatem Aquinatium & Frabraternorum.)* Veneti, *Venafranorum: posse utrumlibet uerum esse existimo.*

CONTRA RVLLVM AD POPVLVM, PRIOR.

REGNORVM *uel dandorum summa potestas datur.)* Veneti, *Agrorum. mihi non displicet,* Agrorum *uendund*

dundorum summa potestas datur. QVAE *terræ uestræ,Quirites iure belli,&c.)* Veneti, *Quæ certè uestræ. idq́; uerum uidetur,ac respicit ad Mitylenas.*

PRO C. RABIRIO POSTHVMO.

ET *suppliciorum & uerberum acerbitates.)* Veneti, Et *uerborum:quod uerum uidetur. Nam & superius paulò Cicero horribilium uerborum meminit,& apud* Liuium Lex *dicitur horrendi carminis.*

IN L. CATILINAM I.

QVANQVAM *quid est quod loquar?)* Veneti melius,*Quanquam quid loquar?*Corrigit enim *superiora.* Et *mox,*Et *si uideo,si mea uoce perterritus ire in exilium animum induxeris.* Veneti,*Tametsi: quod magis probo.* Et *in ijsdem,*Perterritus,*ut in alijs quoq; quibusdam libris, non legitur,uideturq́; ab explicatore irrepsisse.*

IN L. CATIL. II.

EX *rusticis mendiculis.)* Verior *lectio,*Ex *rusticis mediastinis,id est,uilißimarum operarum seruis.*Et *mox,*Patefeci *in Senatu hesterno die:alij hesterna die: sed in hoc nihil,uel non multum certè interesse puto.* ET *talaribus ac tritis tunicis.)* Ven. *Ac tritis,omittunt, & uidetur certè ad sensum minus conuenire:de genere enim quodam delicatorum & mollium loquitur. fortasse longius hoc fuerit suspicari,legendum,*Talaribus ac ricis tunicis, *non tamen reticere cùm incidisset,uoluimus.* Suprà *etiam,*Aut *imberbes aut bene barbatos. uidetur uerius,* Aut *penè barbatos.* VT *neq; quisquam bonus intereat.)* Ven. *& alij,* Vt *ne quis bonus intereat:quod & ipsum non displicet.*

IN L. CATIL. III.

IN *honore debebit is,qui eandem hanc urbem conditam,&c.)* Hanc *nequaquam possum lectionem reijcere:*

neque

neq; certè postponenda Venetorum & aliorum librorum scriptura uidetur, quæ sic se habet, In honore debet dies is, qui eandem hanc, &c. Sed quæ sequuntur nostra, Vos qui ignoratis ex actis scire poßitis, etsi uitiosa esse non apparet, tamen his Veneta præfero, Vos qui ignoratis & expectatis scire poßitis. TARDISS. autem Lentulus uenit.) Hoc, Venit, inculcatum uidetur, neq; reperitur uel in Venetis uel plerisq; alijs libris.

IN L. CATIL. IIII.

QVI mihi uidetur amplecti Remp. tanquam obsidem consulatus mei.) Veneti, Quem mihi uidetur amplecti resp. quam obsidem consulatus mei. Sed ut utraq; lectio, mihi [illegible] nescio quo pacto obscurior, ita utraq; uera uidetur posse. QVI non dolorem suum & cruciatum, nocentis & cruciatu lenierit.) Veneti & alij, Qui [illegible] dolorem cruciatu lenierit: ut illa iam ab explicationis inculcatione suspecta fieri incipiant. NISI cuipiam L. Cæsar uir fortißimus, &c.) Hunc locum ego quidem existimo facilè intelligere omnes corruptum esse, sed lectio quæ inter diuersas mihi optima uisa, ea est quam subiecimus, Nisi L. Cæsar uir fortißimus, & amantißimus Reip. crudelior nudiustertius est uisus, cum sororis suæ fœminæ lectißimæ uirum præsentem & audientem uita priuandum esse dixit. Marcum Fuluium iussu COS. interfectum, filiumq; eius impuberem legatum à patre in carcerem missum, necandum esse dixit.) In quibus ne quis nimis audaces mutationes factas esse arbitretur, historia breuiter temporum illorum exponenda est. Marcum enim Fuluium Flaccum summo opere C. Gracchum defendisse constat, atq; eum filium suum misisse ad Consulem Opimium, puerum formosum, & pudore cum miserabilem, tum admi-

Satis plana de hac lectione omnia. Veneti tamen & alij, Item ut uos Romæ cogn. quod neque ipsum repudiamus. SED *cùm genera quædam pecuniarum capiendarum comprobauerimus.*) Veneti, Comprobaremus, itidemq; alij. Sed apparet, hoc de, Comprobarimus, factum, & hoc contractum uerbum in nostris libris solutum esse. ANTE *ipsum Iouem in primo aditu uestibuloq; templi.*) Sic in Venetis libris: alij, Sepim, aut nescio quid habent. Ac fit in VI. actione mentio Sacerdotij Iouis, qui honos apud Syracusanos ampliss. esset. Considerandum tamen putauimus, an forte in archetypo fuerit talis quædam scriptura, quam imperiti librarij postea deprauarint, Ante ipsum Zena, aut, ante ipsum Zana, id est, τ̃ ζῆνα, uel Dorice ζᾶνα.

ACT. V.

IN *cubiculo socius.*) Veneti ac alij, In cubiculo solus, quod non incommodo sensu legi uidetur. IN *hoc homo luteus, etiam callidus & ueterator esse uult.*) Id est, Homo nihili: ut in Pisonem, Ex luto & argilla factus, & in VI. actione Luteum negotium, id est, futile. Sed Veneti & alij quoq; libri, Lynceus, perpetua Ironia. SVI *quæstus causa constituisse.*) In Veneto exemplo, Irrupisse: quod cuiusmodi sit, aut esse debeat, mihi quidem parum liquet.

CVM *tribus decimis pro una defungeretur.*) Id quod sese rectè habere sentio. Veneti, Defrugetur, id est, Carperetur, haud scio an fine caussa reposito uerbo, quamuis rustico, inusitatiore tamen & hoc loco translato.

EIVS *uocem improbam agnoscatis.*) Ita & Veneti, & uerum esse iudico. Aliqui, Probam, ἐρωτικῶς. quod cum aliqui non animaduertissent, Probrosam suppofuere. FVNDVM *elocatum esse dicebat, dabat iste iudicium.*) Veneti, Fundum eum locatum esse, dabat

bat testes, iudicium. forte legendum Dabat testes, iste iudicium. PRIMO *anno uenierunt eius agri decumæ tritici medimna* XVIII. *Attidius istius &c.)* Veneta *lectio huic similis, præterquàm quòd in illa non est, Attidius, sed Accensus: quòd sanè placet. De numeris uerò quid & hoc loco & deinceps per totam ferè orationem fiet? Ego quidem eos qui diligenter attenderint facilè animaduersuros esse aliquam horum rationem existimo: mutare autem uel corrigere sine autoritate exemplorum ueterum, cum alicubi deprauatio manifesta sit, non ausim.*

VIDELICET *igitur non Turpioni lucrum datum, sed pete.)* Veneti *ita, Videlicet gloriatur,* Non *Turpioni lucrum, &c.* SVNT *hæc iam ad* HS. CCCXL. *mod. tritici.) Ita & Veneti & alij libri. Sed quis* HS. *locus? Verum à numeris abstinendæ manus, ac istorum supputatio relinquenda studioso lectori. Sine enim uel exemplaribus ueteribus & incorruptis, uel doctorum uirorum communicato studio atq; collata opera restitui non possint.* EX EO *fundo qui* HS. *dena meritasset.)* Plau*tus quidem similiter* P*seudolo, Quid meret machæra. Sed nescio tamen quo pacto hæc figura alienior uidetur, magisq; placet* Veneta *lectio hæc,* Ex *fundo cui* HS. *dena merces esset.* MAXIMOSQVE *agros populabatur* Apronius, *perparum ex illis magnis lucris ad se peruenire.)* Veneti, *Perparuum,* συλληπτικῶς πῶς*: id enim hac figura dicitur perparuum lucrum ex illis magnis lucris.*

NON *aliqua se simulatione populi* Rom. *existimationi hominum uendicasset.)* Locum *corruptum esse satis apparet.* Veneti *ita,* Non *aliqua se simulatione existimationi hominum uindicasset.* Posse *non incommodo sensu ita legi puto,* Non *aliqua se simulatione populari existimationi*

mationi hominum uendicasset. NAM si XXX. mod. tritici tu commotus non esses.) Veneti rectius, DXXX. sed & hoc considerandum. QVID accidit tandem, ut horum populorum agri frumentum eiusmodi te prætore ferrent, quod nunquam antea, quod neq; tibi, &c.) Veneta lectio elegantior, Quid accidit tamen, &c. Et ut nunquam antea. PRAECO qui adesse iussit.) Alij, Adire. Veneti minus rectè, nisi fallor, Abire. M. CASTRITIVM summo splendore, ingenio, gratia præditum.) Veneti & alij, Gloria, pro Gratia: quod & ipse cur mutare debuerit non uideo. NAM cum ex S.C. & ex legibus.) Veneti & alij, Ex Sicilia, non rectè, ut uidetur: quid enim sit, Ex Sicilia & ex legibus? SED ex coniunctione annonæ atque æstimationis.) Illud quidem Coniunctione, quid sibi uelit non est certè manifestum. Veneti, Coauctione, ut intelligatur precij multiplicatio. NON omnes, si quæ sunt præterea facultates, sed arat. &c.) Veneti eleganter & uerè, ut puto, Non hominis si quæ sunt, &c. VT post hæc tantas pecunias.) Planius Veneti, Ne posthac tantas pecunias Magistratibus uestris decerneremus, id est, Hoc decreto emptionis infinitas pecunias conficiendi potestatem daremus.

ACT. VI.

NIHIL apud ciuem Rom. denique, istum, quod ad oculos animumq; acciderit.) Id est, quod conspexerit atq; concupiuerit. Sed alia lectio quam & Veneti libri retinent mihi sanè placet, Quod oculos animumq; accenderit, id est, cupiditate permouerit. MODO ut bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab inuito.) Hæc mihi quidem admodum probantur: in emptionibus enim quantum ualeat potestas, quis non uidet? potestatem au-

tem

tem dicit Magistratus, ut pro Cluentio, At neq; priuatus accusare, nec sedata iam inuidia uolebat. Videtis igitur non in caussa, sed in tempore ac potestate spem omnem accusatoris fuisse. In Venetis tamen & alijs quibusdam libris, Nihil pro potestate, omissum. SED in suis nummis multos esse.) Sic & Veneti. Sed est locutio profectò alienior. Et quàm facilè potuit fieri, ut, Eius, in, Suis mutaretur? QVA iudicium est, communi arce sociorum.) Quasi defensione & præsidio. Sed Veneti libri melior & euidentior lectio, Qua iudicium est, communis ac priuatæ rei sociorum. DICENT quæ necesse erit ingratis.) Hoc uerum puto, ut pro Quintio, Extorquendum est inuito atque ingratis quod non debet: apud Plautum Curculione, & alibi sæpe. sed τεϑρασυλλάϐως Ingratijs, id est, non libenter. Veneti tamen & alij, Gratis habent.

QVAE malo integra reseruare, ut quàm minimum.) Omnino melior lectio Venetorum, sed & aliorum quorundam librorum, Quæ modo integra reseruare uolui, ut quàm minimum. QVOD celari opus erat.) Ven. & alij, Oportuerat. Quid autem est aliud, Opus erat, nisi oportuerat?

IN Sicilia quidem cùm essem, sic à Centur.) Veneti & alij, Siciliæ quidem. & memorantur sanè de Cicerone similes locutiones. Sed ipse tamen de his ita disserit ad Attic. lib. VII. ut præpositionem non esse omittendam, sentire uideatur. Esset autem illud simile huic Vergiliano:

Aut Cretæ iussit considere Apollo.

NE multa HS. CC. me, inquit, poposcerunt, dixi me daturum C.) Hæc est perquàm elegans lectio, & uera etiam uidetur. Veneti & alij ita, Ne multa HS. M. me, inquit, dixi daturum. quæ profectò summa pecuniæ in quamuis pretiosos scyphos nimia fuerit. Sestertia enim mille,

fuerint

fuerint decies,id est,Coronati, ut nunc loquimur, circiter XXV. M. DIONYSIARCHVM *ad se proagorum.*) Hoc *est, summum magistratum uocari iubet. Veneti & alij*, Pardiorum: *sed re incerta, illud retinuimus.* Et *mox,*Vt *ipse de me detraham. elegantiora* Veneta,Vt *egomet mihi detraham. Sed illa tamen non possum improbare.*

QVI *non obtrusit aliqua ex parte monimenta* P. Scip.) *Alij,*Obstruxit, *id est, illa obscurauit: translatione ab ædificationibus ducta, quibus officitur luminibus, aut commoditati aliarũ ædium: idq; uerum puto.* ATQVE *illius fani antistæ.*) Vt,Propter *hospitæ huiusce consuetudinem.* Veneti *tamen* κοινῶς, *antistites: sed antistitæ legit &* Priscianus *libro quinto.* AC IAM *illa omitto.*) Veneti,Nunc *iam,itidemq; alij: sed nobis tamen nostrum probatur.* SIGNVM´QVE *Apollinis qui* Tenites *uocatur.*) Forte *à* Tenijs. Veneti, Thesmotes. *sed de hoc cognomine nihil habeo dicere.* VT EX *marmore Iacchum autem* Paralum.) *Hæc uera scriptura*, Nam *quod alij, ut* Veneti, Parthalum *habent, ex eo,ut opinor, euenit, quòd in archetypo reperissent librarij inserta aspiratione,* Parhalos, *ut in* Exhedra *quoq; & similibus factum animaduertimus.* EORVM *tabulas exquirebam,*) Veneti *& alij*, Scribebam: *quod sensum minus commodè absoluere uidetur.* Excribebam *quidem erat planè aptum.* ATQVE *adeò cum iam non solum discessio facta esset.*) Veneti *ἐναντιωματικῶς*, At *uerò.*

ACT. VII.

QVI *in rebus non ita defendatur.*) *Alij*, In reis. *Sed* Venetam *scripturam probo*, Qui *nunc reus.* FVIT *ista respublica quondam.*) *Alij*, Responsio: *quod falsum esse apparet. Est &* Veneta *commodi sensus scriptura,*

Repreh

Reprehensio. LATOMIAS *Syracuſanas omnes audiſtis.*) *Sic eſt forma nominis uſitata: ſed alij Latumias,* Veneti *Lautumias, antiqua forma.* Vt *Laumedon, pro Laomedon: & mutata o, in u, quod in Græcis nominibus facere* Latini *conſueuere, ut* Πρίαμος, *Priamus. Sic igitur Lautumiam illi ueteres,* ἀντὶ τῆς λαοτομίας. SED *urbe portus ipſe cingitur & includitur.*) Non *poſſum hoc ullo modo reijcere.* Veneti *tamen & alij,* Concluditur. NE *multa iudices, libertate, quam uos ſocijs dediſtis, hac ille, &c.*) Veneti *& aliorum librorum lectio uera eſt,* Libertatem *quam uos. ut hoc,* Vrbem *quam ſtatuo ueſtra eſt. &,* Populo *ut placerent quas feciſſet fabulas.* VTRVM *ego deſipio, & pluſquam ſatis eſt.*) Veneti *& alij,* Et *plus quàm ſatis opus eſt: quorum alterum de explicatione inculcatum uidetur.* NON *ut aliquid ex huius bonis uſurparet.*) Veneti *uerius* Recuperaret. TVVS *hoſpes* Cleomenes *hoc dicit, ſeſe in terram eſſe egreſſum.*) Veneti *& alij,* In *terra eſſe proiectum: hoc mutandum quidam putarunt,* Eſſe *profectum. Sed illa noſtra lectio ſane longè abducta uidebatur, non exponere tamen noluimus.*

QVIBVS *argumentis ſe ad ſalutem uti arbitrabantur.*) Id *eſt, quibus rebus demonſtrare nitebantur ſe mercatores non milites Sertorianos eſſe. Sed* Veneti *non minus rectè,* Quibus *adiumentis ſe, &c.* HAECCINE *plebi* Roma. *te prætore eſt conſtituta conditio.*) Hanc *ueram lectionem eſſe nemo, ut opinor, dubitare poterit, quamuis* Venetus *liber, quem eſſe emendatiſs. uolunt, & nos magnificimus, uulgarem retineat,* Hæc *in plebe* Rom. *te præt. non enim certe iacere hoc loco orationem oportet.* VT *dubitationem aliquam crucis.*) Rectè, *id eſt, ut tibi afferret dubitationem an crucis illum ſupplicio ſe ſtatim afficere*

uelles. Veneti non deterius, dilationem, id est, ut supplicium saltem differre uelles. VT ILLE *in dolore cruciatuq; moriens, per angusto freto.) Veneti similiter: alij,* Fretu : *sed nos usitatius illud huic antiquiori prætulimus.* Et mox, Supplicio affectum, *nota figura sermonis.* Ven. *&* alij, Supplicio *affixum. de crucis supplicio minus simpliciter,*

PRO M. FONTEIO.

QVID? *si hoc crimen optimis hominibus denegare possumus.) Sane fateor hoc me non admodum intelligere quale sit.* Itaq; Venetæ *lectioni assentior*, Optimis *hominibus delegare, id est,* Asscribere *seu,* Attribuere.

PRO A. CAECINNA.

IDEO *rem indignam non uindicari.)* Veneti, Iudicari, *quod non displicet.* VT IVS *ac deductio moribus fieret.) Sic &* Veneti, *& alij libri. Sed ueram lectionem esse apparet,* Vt uis *& deductio moribus.* Nam *quædam uis legitima erat in suo recuperando, quam moribus, id est, consuetudine facere solereut.* VT VOS *iudicetis huius rei interdictum atq; actionem in mentem maiori.) Sic &* Veneti *& alij libri, præter unum editum inter primas expreßiones istas librorum, cuius mihi etiam lectio uera uisa est hæc,* Vt *uos iudicetis huius rei atque actionis in mentem maiori.* Nam *alicui fortaße hæc figura orationis ignotior fuit, qui illud interdictum inculcauit.*

ACTIO *est in autorem præsentem.) Sed* Veneti, In *actorem: ut intelligamus formula hac actorem uti solitum.*

AT *uerò ratio iuris interdictiq; ius.)* Veneta *hoc etiam loco probatur lectio*, At *uerò rationis interdictiq; ius, non solum* Prætoris *sed ipsius etiam intelligentiæ dictata reclamare tali interpretationi, ut dicat quemadmodum alibi, Si*

tu

tu maluisses beneuolentiæ quàm litium iura perdiscere.

TVM illud, quod dicitur, si ueni, bc * irrident:) In Venetis mendi nota sublata locus integrè sic legitur, Tum illud quod dicitur, sic uenire irrident. sed uereor ne sic quoque integritati suæ restitutus locus non sit. FATEOR, hoc interdictum prætoris uindicaui.) Aliqui ita, Hoc interdicto prætoris uindicari. Veneti, Hoc interdictum prætoris uiolaui. NAM qui hoc disputant, si id dicunt, non rectè aliquid statuere eos qui consolantur, nec hoc debent dicere iuri ciuili, sed hominibus stultis obtemperari non oportere.) Alibi hic locus non sententia quidem diuersa, sed oratione uenustiore ita reperitur perscriptus, Nam qui hoc disputant, si id dicunt, non ratione aliquid statuere eos qui consulantur, nec hoc debent dicere iurisconsultis, sed hominibus stultis obtemperari non oportere. FVGARIS, auerteris, non restitues * tu res, &c.) Hic totus locus in Venetis nulla indicatione deprauationis, commodius quidem perscriptus est, sed haud scio tamen an persanatus non sit. Illam autem scripturam subiecimus: Fugaris, auerteris, non restitues. Tum statueretis uim in cæde solum non etiam in animo. Nisi cruor appareat uim non esse factam. In iure parum delictũ esse qui prohibitus sit. Nisi ex eo loco ubi uestigium impresserit deiici neminem posse Iuris retinere sententiam, & æquitatem plurimum ualere oportere, uerbo ac litera ius omne torqueri, uos statuite Recup. utrum melius esse uideatur. Atq; hæc fortasse etiam meliora uideantur, si legamus, Tum statuetis. &, Si qui prohibitus sit. VNDE tu.) Ita & alij libri. Sed Veneti & Gallici, Vnde tu, de formula interdicti recuperatorij expositi Digest. lib. XLIII. VNDE TV ILLVM VI DEIECISTI. Sed

huius tamen interdicti iudicatio est, VNDE VI. *Vnde deiectus est Cæcinna? ex urbe. Vnde deiecisti? ab urbe.* Legendum ita, paululum suffragante & Veneto exemplo, *Vnde deiectus est Cæcinna? ex urbe. Vnde Cn. Carbo? ab urbe.* Hanc lectionem historiarum belli ciuilis quod inter Marium & Syllam gestum est, expositiones confirmant. Nam Cinnam primum Octauius ex urbe expulit, ex Italia autem Carbonem Sylla. QVOD *negabas quenquam deijci posse, nisi qui in eo loco fuerit, nunc, qui poßideat, etiam si non fuerit in eo loco deijci posse conceditis.*) Hæc uerba sensum habent conuenientem: sed Venetam tamen & aliorum lectionem huic nostræ præfero, & ueriorem iudico, hanc: Quod negabas quenquam deijci posse, nisi in eo loco esset, nunc iam concedis, cum qui non poßideat negas deijci posse. DVBIVM *est, quin si Cesennia tum possidebat.*) Dubium'ue est? malim. Veneti, Dubium non est.

QVIB. *lege aut ratione.*) Veneti, Quib. lege, aut Romana ciuitas, aut libertas, id quod sanè probatur nobis.

QVAPROPTER *si quid extra iudicium est quod homini tribuendum sit.*) Veneti, Quod uirtuti hominis trib. sed suspicari aliquis poßit hanc esse explicationem illius quod in nostris scribitur.

DE LEGE MANILIA.

VSQVE *in Hispaniam Ecbatanis misit.*) Ita & Veneti. Sed Ecbatana Mediæ fuisse constat, Mithridates aut Cappadociæ & Ponti rex fuit. Alij aliter, hanc, ut puto, ob caussam nomen mutarunt, è Lebetanis. Alij, Electuanis: de quorum neutro quid dicam, habeo.

PRO A. CLVENTIO.

VENENVM *diebus paucis comparatur.*) In Venetis & alijs libris, Comparatur, omissum est. Et inculcatum

tum sane extrinsecus uix potest dubitari. POSSVNT *illud idem iudicium fuisse defendere.)* Veneti, *Fuisse non defendere. Sed sic legi, nisi fallor, hæc interrogatiue oportebit.* AC NE *ex facto solum sapientes illos iudicetis, sed ex hominibus ipsis.)* Veneti *pereleganter & uere, ut uidetur,* Ex *nominibus ipsis, ut celebria & sæpe memorata nomina dignitate præstantium uirorum intelligamus.* Quemadmodum *alibi,* Curios, Decios, Maximos, Fabricios, *&c. dicit.* AVT *illud afferant, &c.)* Notatus *locus signo mendositatis.* In Venetis *uideri potest correctus esse.* Nam *ut illud afferant nihil est quo de his duobus habuerint compertum, de cæteris comperisse.* IPSE *sua conscientia ad ignominiam alterius contentus non fuit.)* Veneti, *Scientia, idq; placet, ut alibi,* Ignoratio *futurorum malorum utilior est quàm scientia.* CVM *ille nihil aliud ageret, cum illa cuncta quæ tum erat nobilitate, nisi uti quicunq; rem iudicassent.)* Quæ *uera & recta lectio uidetur, usq; adeò ut dissentientes ab hac ascribendas esse non duxerim.* EST *enim sapientis iudicis, meminisse se hominem, cogitare tantum,)* In Venetis, *Meminisse se hominem, omissum: & nescio quomodo ab inculcatione mihi suspectum est.* ET *sestertiorum & auri quinque pondo abstulit.)* Apparet *sestertiorum numerum, quæ pecuniæ summa esset desiderari, ut spatiolum post illud nomen relinquendum fuerit.* PROPTER *uicinitatem* Aquinatium & Frabraternorum.) Veneti, Venafranorum: *posse utrumlibet uerum esse existimo.*

CONTRA RVLLVM AD POPVLVM, PRIOR.

REGNORVM *uel dandorum summa potestas datur.)* Veneti, Agrorum. *mihi non displicet,* Agrorum *uendund*

dandorum summa potestas datur. QVAE terrae uestrae, Quirites iure belli, &c.) Veneti, Quae certè uestrae. idq; uerum uidetur, ac respicit ad Mitylenas.

PRO C. RABIRIO POSTHVMO.

ET suppliciorum & uerberum acerbitates.) Veneti, Et uerborum: quod uerum uidetur. Nam & superius paulò Cicero horribilium uerborum meminit, & apud Liuium Lex dicitur horrendi carminis.

IN L. CATILINAM I.

QVANQVAM quid est quod loquar?) Veneti melius, Quanquam quid loquar? Corrigit enim superiora. Et mox, Et si uideo, si mea uoce perterritus ire in exilium animum induxeris. Veneti, Tametsi: quod magis probo. Et in iisdem, Perterritus, ut in alijs quoq; quibusdam libris, non legitur, uideturq; ab explicatore irrepsisse.

IN L. CATIL. II.

EX rusticis mendiculis.) Verior lectio, Ex rusticis mediastinis, id est, uilissimarum operarum seruis. Et mox, Patefeci in Senatu hesterno die: alij hesterna die: sed in hoc nihil, uel non multum certè interesse puto. ET talaribus ac tritis tunicis.) Ven. Ac tritis, omittunt, & uidetur certè ad sensum minus conuenire: de genere enim quodam delicatorum & mollium loquitur. fortasse longius hoc fuerit suspicari, legendum, Talaribus ac ricis tunicis, non tamen reticere cùm incidisset, uoluimus. Suprà etiam, Aut imberbes aut bene barbatos. uidetur uerius, Aut penè barbatos. VT neq; quisquam bonus intereat.) Ven. & alij, Vt ne quis bonus intereat: quod & ipsum non displicet.

IN L. CATIL. III.

IN honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam, &c.) Hanc nequaquam possum lectionem reijcere: neque

neq; certè postponenda Venetorum & aliorum librorum scriptura uidetur, quæ sic se habet, In honore debet dies is, qui eandem hanc, &c. Sed quæ sequuntur nostra, Vos qui ignoratis ex actis scire possitis, etsi uitiosa esse non apparet, tamen his Veneta præfero, Vos qui ignoratis & expectatis scire possitis. TARDISS. *autem Lentulus uenit.) Hoc, Venit, inculcatum uidetur, neq; reperitur uel in Venetis uel plerisq; alijs libris.*

IN L. CATIL. IIII.

QVI *mihi uidetur amplecti Remp. tanquam obsidem consulatus mei.) Veneti, Quem mihi uidetur amplecti resp. tanquam obsidem consulatus mei. Sed ut utraq; lectio, mihi quidem nescio quo pacto obscurior, ita utraq; uera uidetur putari posse.* QVI *non dolorem suum & cruciatum, dolore nocentis & cruciatu lenierit.) Veneti & alij, Qui non dolorem cruciatu lenierit: ut illa iam ab explicationis inculcatione suspecta fieri incipiant.* NISI *cuipiam L. Cæsar uir fortissimus, &c.) Hunc locum ego quidem existimo facile intelligere omnes corruptum esse, sed lectio quæ inter diuersas mihi optima uisa, ea est quam subiecimus, Nisi L. Cæsar uir fortissimus, & amantissimus Reip. crudelior nudiustertius est uisus, cum sororis suæ fœminæ lectissimæ uirum præsentem & audientem uita priuandum esse dixit. Marcum Fuluium iussu* COS. *interfectum, filiumq; eius impuberem legatum à patre in carcerem missum, necandum esse dixit.) In quibus ne quis nimis audaces mutationes factas esse arbitretur, historia breuiter temporum illorum exponenda est. Marcum enim Fuluium Flaccum summo opere C. Gracchum defendisse constat, atq; eum filium suum misisse ad Consulem Opimium, puerum formosum, & pudore cum miserabilem, tum admi-*

rabilem, qui de conditionibus pacis ageret. Hunc cum COS. *iterum uenire ad se uetuisset, reuersum patris iussu, comprehendi & in carcerem conijci iußit. Eundemq; postea patre occiso, crudeliß. interemit, neq; pugnarum, neq; certaminum participem. Hunc igitur necandum in carcerem missum, & patrem iussu Consulis interfectum probauit oratione sua, tum L. Cæsar, ut hæc mihi lectio iam confirmata ab historia firma esse posse uideatur.* QVIA *sua fortuna ciuitatis ius consecuti.) Veneta, nisi fallor, uerior, Qui sua uirtute fortunam ciuitatis consecuti.* AVT *recepti in amicitiam.) Veneti & alij, In amicitiam, non habent, & irreptitium esse suspicari licet.*

PRO L. MVRENA.

EX *altera parte plena catenarum atq; indicum.) Veneti, Iudicum. Et sanè de hoc quærendum puto. Nam iudiciorum Testes sunt, Indices maleficiorũ: quibus & ipsi cum teneantur, indicio pœnam subterfugiunt.* SI *mercede corrupti obuiam candidatis issent.) Veneti, Conducti, non magno aut nullo potius discrimine. Sed mox, Vulgo locus tributim, Veneti non peius, ut credo, Vulgo locus tributus.*

PRO L. FLACCO.

ILLVM *Euium, Bromium, Nysium, Bacchum.) Nemo hæc Baccho nomina à poëtis apponi solita nescit, sed Veneta simplicior lectio, Illum Dionysum, Bacchum, &c.* OCIVM *te delectat, lites, turbæ populus Roma. odio est, Græcorum libertate, &c.) Veneti, Otium te delectat, lites, turba, prætor, odiosi: Græcorum libert. idq; non est cur displiceat. Et mox, Apollonienses, Veneti, Apollonidenses, quod & ipsum placet, quamuis Græci ἀπολλωνιεῖς dicant, quod tamen ipsum ab urbis nomine non formatur.*

PRO P. SYLLA.

ARREPTA *est familia.*) *Rectius omnino* Veneti, *At empta est familia.* INTERCESSOREM *fore professus est.*) Veneti *&* *alij*, *Perpessus est.* NON *sua consuetudo ac uita conuincit.*) *Alij*, *Non sua hæc uita conuincit. Sed Venetæ scripturæ assentior*, *Non sua anteacta uita conuincit.*

PRO ARCHIA POETA.

NAM *nisi illi ars extitisset illa.*) *Non est dubium quin poëtarum studium artem dixerint*, *ut in Bruti proœmio: Etenim si in leuiorum artium studio memoriæ proditum est*, *poëtas nobiles poëtarum æqualium morte doluisse*, *quo tandem animo eius interitum ferre debui &c. Sed elegantior profectò*, *&* *uera*, *ut puto*, *Veneta lectio*: *Nam nisi Ilias illa extitisset*, *idem tumulus &c. de Homero enim peculiariter loquitur.*

AD POPVLVM ET EQVITES ANTEQVAM IRET IN EXILIVM.

HANC *orationem Veneti loco mouerunt*, *&* *post uniuersas demum apposuerunt*, *infamantes etiam præscriptione ut parum Ciceronianam*, *quòd tam ineptè illum locutum non credendum esse uideatur*, *&* *est*, *ut uerum fatear*, *mihi hæc semper oratio nescio quo pacto dissolutior & tumidior uisa*, *ut declamationem alicuius posteriorum esse suspicarer*: *quæ opinio fortasse non longißimè à ueritate abfuerit.*

AD QVIRITES P. R.

MIHI *pietate filius inuentus est.*) Veneti, *Mihi ætate filius. idq; placet.* SPIRITV *duntaxat uiueret*, *re quidem infrà omnes mortuos amandatus esset*) *Id est*, *Ablegatus*, *ut pro* D. S. *Me expulso*, *Catone amandato. Sed* Veneti,

Infra omnes mortuos mandatus esset.ut, Terræ mandare, dicunt.& pro Quintio, Sed si fieri potest, infra etiam mortuos mandatur. TVM *etiam nec tam necessarium quidem est, malè meritis referre quod debeas, quàm ut benemeritos colas.)* Veneti longè aliter, *ita: Tum etiam nec tam necessarium quidem est male meritis quàm optimè meritis referre quod debeas.* ATQVI *in officio persoluendo dissimilis ratio pecuniæ debitæ est.)* Veneti, *Dissimilis est ratio & pecunia debita. quod haud displicet.* DVM *anima spirabo mea.)* Ali[illegible] Exuperabo: Veneti, *Supercro.*

POST RED. IN SEN.

TOTAM *illā caussam, ut antè dixi, proscriptionē &c.) Caussam, aliqui remouerunt: quid enim hoc loco sibi uellet non intellexerunt, ut arbitror. Sed* Veneti, *Clausulam reposuere, commodissimo sensu.* QVAM *intemperans non in auare cœptis, sed porrò intermissis uoluptatibus.)* In Venetis *hic locus haud dubiè restitutus, Quàm intemperans non ianua receptis, sed pseudothyro intromissis uoluptatibus. ut in* IIII. *Verrina,* Numerantur *illa sestertia* CCL. *Syracusanis: ea quemadmodum ad istum postea per pseudothyrum reuertantur, tabulis uobis & testibus* Iud. *planum faciam. Esse autem fores occultas & tectas, non uerum ostium, uocabulū indicat.* QVO *quidē die cum* CCCCX. *Senatores essetis.)* Veneti CCCCXVII. QVI *non solū apud uos, qui idem sentiebatis, sed etiam apud uniuersum populum* Rom. *Salutem* Reip. *& conseruatam per me & coniunctam esse cum mea direxit.)* Hoc *quidem*, Direxit, *falsum: itaq; reponetur* Dixerit, *ut alibi legitur: ubi & hic locus ita exponitur, Sed etiam apud uniuersos, salutē pop.* Ro. *& conseru. &c.* Ii *huius auxerunt dimicationis metum.)* Veneti *multò rectius, ut existimo,* Ii *in hoc auxerunt.*

Pro

PRO DOMO SVA.

AC *me præsente seus.*) Veneti, *Me absente: quod positum magis quàm illud nostrum, loco uidetur esse.* Et mox, *Cum seruos tuos ad rapinam, ad bon. commodius* Veneti, *Seruos tuos à te iam pridem ad bon.* PER *caussam inopum atque peregrinorum.*) Veneti *Imperitorum. Sed ut neutrum admodum arridet, ita quid reponam non inuenio.* PATROCINIVM *huius Imperij immiss.*) Veneti, *Latrocinium, rectè, ut puto: hoc enim dicit fuisse tum grassatum in Cyprum imperium pop.* Ro. CAESAR P. Clodio.) Veneti *etiam familiarius, ita, Cæsar* Pulchro.

EGO *pro salute reip. uniuersæ dubitarē? hoc meliore.*) *Minimè hæc displicent, ac potius præclarè se uidentur habere.* Veneti *autem sic,* Ego *pro salute reip. uniuersæ dubitarem hoc meliore conditione esse quàm Decij, quod illi ne auditores quidem suæ gloriæ, &c.* QVONIAM *plebi quoque urbanæ mores nostri conuen.*) *Melius in Venetis, Maiores nostri conuen.* NON *tam insolens sum qui Iouem esse me dicam, non tam ineruditus, qui Mineruam Iouis sororem, meā esse sororem existimem.*) *In Venetis ita, Non tam insolens sum quòd Iouem me esse dico, quàm eruditus, quòd Mineruam sororem Iouis esse existimo. Hæc autem dici* ἀρωνικῶς *apparet à Cicerone. Quis enim nescit traditum filiam Iouis fuisse Mineruam, & quidem è capite illius prognatam? Quid autem posset fieri insolentius, quàm si aliquis ita se uerbis efferat, non ut Deum se, sed patrem & regem deorum faciat? Irridet igitur Clodianos iocos Cicero. Hoc aliquis fortè non animaduertens, figuratam orationem in simplicem mutauit.* SED *ut reuertar ad ius publicum iudicandi.*) Veneti, *Ad ius publicum iudicandum: quemadmodum, nisi fallor, iusiurandum dicitur.*

DE ARVSP. RESP.

NON *modo uincere, uerumetiam uincire.*) Alij, Non *modò uinci, uerumetiam uincire.* Vtrunq; *uereor ut uerum sit.* Venetam *igitur probo lectionem.* Non *modo uinci, sed etiam uincere.* Vt *hoc dicat*, Non modò hoc *uoluisse atque egisse* Milonem, *Clodius ut uinceretur, sed ut ij essent qui illum egregie uincerent.* ET *qua mente? quam amiseras.*) Veneti, Qua *inuaseras : legendum autem omnino uidetur*, Ecqua *mente?* CVM *aliquo animi & iuris dolore.*) Nescio *quomodo minus hæc consentanea uidentur: assumendam igitur puto* Venetam *scripturam*, Cum *aliquo animi uirili dolore.*

PRO CN. PLANCIO.

NON *id est in hac re molestiß.*) Veneti, *quod propemodum magis mihi placet*, Non *id est in hac re solum molestum.* QVAE *si minus in scena sunt.*) Veneti, Necessaria. *id'que puto illo nostro uerius.* Sed *mox*, CVM *sint prolata.*) *reponendum iudico* Probata. QVOD *genus iudiciorum si est æquum ulla in re, nisi hac tributaria.*) Veneti *melius*, Tribuaria. *uti & mox*, Et *per consensionem magistratuum honestæ'que sodalitatis nominaretur*, Illi *ita*, Et *per consensionem magistratuum, quæ honestè sodalitas nominaretur.* NAM *quas tribus tu tulisti, sic iam ex te requiram, utrum poßis, quorum studio tuleris explicare, sic'que ego hoc contendo &c.*) Alibi *aliter hic locus perscribitur.* In Venetis *libris ita*, Nam *ut quas tribus tu tulisti, sic iam ex te requiram posses quorum stud.* Mihi *cogitanti in mentem uenit credi posse ueram esse talem quandam lectionem*, Nam *ut, quas tribus tu tulisti, si iam ex te requiram, posses quorum studio tuleris explicare, sic ego hoc cõt.* NON *ut opinor admirere.*)

Omne

Omnes ferè alij libri, Admirarere: sed uerum esse puto, Admirabere. IAM succumbam Laterensis isti tuæ orationi.) Veneti, Isti tuo uerbo: quod fortasse, oratione, aliquis explicare uoluit. Verum & uidetur quod in Venetis mox legitur, Quo nimis me apud uos ual. op. in his enim sensus euidens: ubi in nostris est, Quo minus me apud uos ual. op.

PRO P. SESTIO.

SI M. Petreij non excellens animus, & amore Reip. præstans in Rep. uirtus.) Nescio quomodo hæc scriptura sine causa plenior uidetur. Veneta lectio, quam & alij libri retinent est, nisi fallor, sincerior, Si M. Petreij non excellens animo & amore Reip. uirtus. FUERAT ille annus in Reip. magno motu.) Veneti & alij, quod retineri rectè posse puto, ita, Fuerat ille annus tanquam in Reip. magno metu. CONSTRICTAM legum sacrarum catenis soluit subito legum cura Cos.) Veneti, Sacratarum catenis soluit subitò legum Cos. Atq; illud, Sacratarum, bene habet. Sed legum Cos. quid sit? Nam ut fatear, Cura, irrepsitium uidetur. Suspicari fortè liceat, fuisse scriptum in archetypo LEG. Quod aliquis integrum exarauerit LEGUM. Quod si LEGIBUS fieret, iam esset sensus planus.

OLIM Herculeo illo æris alieni in freto.) Ven. quod & ipse malim, Ne Scylleo illo æris &c. SENEX de Rep. meritorum memoria.) Veneti, Bene de Rep. meritorũ memoria: simpliciter & usitatè, idq; reponẽdum iudico: etsi senex apud Ciceronem quin uetustatis & antiquitatis quamcunq; significationem habeat, non ignoro. QVOD ille cum quasi quæstum faceret, amisit. Vos, nos inquam equ.) In Venetis aliquot uerba sunt interposita non aliena, ut uidetur. Sic enim illi, Quod ille cum quasi quæstum faceret, amisit.

Cum

Cum uenisset ad Senatum, uos, uos, inquam. NIHIL *acerbius socij Reatini ferre soliti sunt.*) *Veneti rectius, ut puto, Socij Latini.* ILLI *enim mali timore pert.*) *Veneti melius, ita, Illi autem aliquo tum metu pert.* QVIS *enim unquam me ü Sen.*) *Hæc in Venetis libris multo melius ac castigatius, nisi plane fallor, ita leguntur, Quis enim unquam me à Senatu populoq; Ro. tanto bonorum omnium studio non restituto (quod certè si essem interfectus accidere non potuisset) illam Reip. partem cum sua minima inuidia auderet attingere?* QVANQVAM *quis auderet si max. queri uellent, de Cyprio rege quærere.*) *Veneti ita, Quanquam quis auderet, qui maximè uellet, queri? De Cyprio Rege quererētur? Sed et ita sensus implicatur.* NAM *ex otio tribunis.*) *Ven. Nouem, & rectè, ut apparet de oratione ad Quir. Post red. ibi enim ita legimus, Eodemq;, P. Lentulo autore, & pariter referente collega frequētiss. Senatus uno dissentiēte, nullo intercedente, dignitatē meam quibus potuit uerbis ampliss. ornauit.* NEQVE *hoc ipso turbulentissimo die criminationis esse in Sestium.*) *Ven. Criminamini Sestium.* HORVM *utro uti nolumus altero est carendum.*) *Veneta mihi nō minus placet lectio, Horū utro uti nolumus altero est utendum.* MVLTA *proponi pericula, multas inferri iniurias.*) *Veneti, Multas inferri insidias.*

IN VATINIVM.

CVM *affirmares nullum tibi omnino cum Albinouano sermonem non modo de Sestio accusando, sed ulla unquam de re.*) *Veneti, Sed nulla unquam de re. Vt sit simile illi in primo de Oratore, ut in Venetis libris quemadmodum diximus, legitur, Negaretq;, nisi Posthumus & natus, & antequam in suam tutelam uenisset, mortuus esset, hæredem eum esse non posse.* SI *Romæ deniq; ab*

ore

ore impr.)Veneti emendatè sic, Strumæ denique ab ore impr. nam Vatinij strumam & alibi Cicero irridet, Deniq; Vatinij strumam sacerdoti dibapho uestiant.

PRO M. CAELIO.

INDVCTA oratio animos uestros sensim ac leniter accenderet.)Verior Veneta lectio, Ad animos uestros sensim ac leniter accederet. NEQVAM uocem eliciat, non parietes conscios.)Sine caussa ac temerè hanc lectionē mutarunt. Cicero enim quasi interpretatus esset Euridipea. certè respexisse ad illa uidetur, quæ sunt in Hippolyto:

Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,
Τέρεμνά τ' οἴκων μήποτε φθογγὴν ἀφῇ.

PRO L. CORN. BALBO.

HANC Veneti libri orationem collocatam habent post sequentem de prouinc. Coss. quod & ipsum indicandum putauimus. CAETERA accusator fatetur.)Ven. Cæterum, aduerbialiter, ut & Terentius, & Cicero alibi. Nam Cætera, aduerbialiter hoc loco à Cicerone uix positum esse uidetur. Quod Maro usurpauit, Cætera parce puer bello.

SEQVITVR, hunc in Hispania diutißimo bello, &c.) Imò certè ut alij, Durißimo bello, &c. VT cum iußisset prætor.)Immo ut Veneti, Po. Rom. Reperiuntur autem hæ scripturæ sæpe inter se temerè permutatæ. C. CAESAREM senatus, & genere supplicationum amplißim. ornauit & numero dierum nouē.)In Vene. Dierum XV. Atq; hic dierum numerus memoratur in secundo commentario illius. In septimo uerò, cognitis rebus à Cæsare gestis Romæ dierum XX supplicationem indictam fuisse, legitur.

IN PISONEM.

HIC in fraudem homines impr.) Ven. in Errorem: quorum utrum de altero fluxerit, dictu difficile.

VOS *rogatores,uos distributores, uos custodes fuisse tabularum.)* Ven. *Vos rogatores,uos diribitores. & legendum ita putant plerique in oratione habita in Senatu post* Red. *Tot rogatores, diribitores, custodesq́; uidistis? nam Tutores,quod aliqui maluerunt,quid esse hoc loco possit?*

PRO MILONE.

ET *quidem cæteras temp.)* Seruius *primo libro* Aeneidos *ubi notat comparationem contrà à* Marone *fluctuum cum seditione factam,atq;* Cicerone *fuisset, adducens hunc locum,* Equidem *legit:idq́; non incongruum uidetur.* INSIDIATORI *uerò & latroni quæ potest afferri iniusta nex.)* In Prisciani *lib.6. legitur, Inferri iniusta nex.* Et *mox,* EST *ergo hæc* Iud. *non scripta sed nata lex.)* In *oratione hæc ita adducuntur,* Est *enim* Iudices *hæc non scripta,&c.* SED *forrasse motu aliquo communium temporum immutatus.)* Verius, Immutatis. Nam *aduersus* Euripidis, *uel epistolam etiam* Dionis *in qua illi exponuntur,respexisse uidetur,ubi hæc leguntur:* καὶ μοι τοῦτο τῶν ἐυριπίδου τῶν καιρὸν ἐστὶν εἰπεῖν, ὅτι σοι πραγμάτων, ἄλλως ποτὲ ξυμπεσόντων, δοξεῖ τοιοῦτον ἄνδρά σοι παρεστάναι. IN *eius consilijs uindicandis.)* Veneti, Iudicandis. Et *aliquanto pòst,* Mihi *coniunctam fidelissima gratia,* Veneti, Fidiss. *gratia.paruo uel nullo discrimine.* QVI *ea uirtute ac sapientia.)* Veneti *& alij non,* Sapientia, *sed,* Fortuna, *habent. neq; id displicet:nam & alibi a* Cicerone *fortuna* Pompeij *prædicatur.* EST *quodam incredibili robore animi septus.)* Veneti, *Est quodam incredibili robore animi.* Idq́; *satis esse potest.*

PRO C. RABIRIO POSTHVMO.

CVM *mitella sæpe uidemus.)* Aliqui, Mitrella, *reposuerunt, non rectè:à* Mitra *enim* Mitella, *ut umbra umbella,*

bella , Culcitra Culcitula , & à Monstris Mostellariam Plautus fecit.

PRO M. MARCELLO.

EASQVE *detrahere ducibus,communicare cum militibus.*)*Sic & Veneti. Nonnulli tamen. Cum multis. Quod ne ipsum quidem abhorret ab Euripidis uersibus , ad quos fieri potest ut tum Cicero respexerit,quosq; traditum est in cædem Cliti incitasse Alexandrum cum ille contra hunc in conuiuio accinuisset. Sunt autem in Adromacha hi:*

Οἴμοι καθ' ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίσεται
Ὅταν τρόπαια πολεμίων στήσῃ στρατὸς
Οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε
Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται.
ὃς εἷς μετ' ἄλλων μυρίων, πάλλων δόρυ,
Οὐδὲν πλέον δρῶν ἑνὸς ἔχει πλείω λόγον.

VT *nulla sicut trophæis monumenumentisq; tuis allat.*)*Veneti aliter , Vt trophæis monumentisq; tuis nulla unquam allat.* SED *quisnam est iste tam demens ? de tuis'ne?*)*Veneti aliquid amplius habent,ita enim hæc in illis libris leguntur,Sed quisnam est iste tam demens ? qui scilicet tibi insidiaretur. Verùm hæc ab inculcata explicatione suspecta sunt.* DOMO *est egressus, non modò nullum ad bellum,sed ne ad minimam quidem suspicionem belli.*) *Quintilianus de narratione adducit hunc locum ita , Non modò ad bellum,sed ne &c. ut de sequentibus assumenda negatio sit. Cuius simile est in epistola ad Plancum,Non modò ut uocem , sed ne uultum quidem liberum ferre posit.*

REMANSIO *etiam necessitatē honestam.*)*Additur in Ven. quod ualde uereor ut extrinsecus alicundè irrepserit: Remansio etiam necessitatem honestam ut urgeret præfecturam.* IN *eo nō acerbus,tametsi totus esset studio tuus.*)

Veneti, In eo non acerbus, tum etiam fuit totus animo tuus.

PHILIPPICA II.

QVAM *multa ioca solent esse in epistolis.*) Idq; *mihi placet, Veneti tamen & alij*, Loca, non, Ioca. INDE *Cassia celeriter ad urbem aduectus.*) Intelligendum Cassia uia. Et *fit quidem mentio Cassiæ uiæ in* XIIII. Philip. *Sed ego tamen hoc loco assentior lectioni* Venetæ, Inde *cisio ad urbem aduectus. Cisium enim uehiculi genus ad celeritatem expeditum.* PRIMVM *eorum reditus inquinatos.*) *Ita ferè omnes libri, cum facilè cuiuis apparere posit legendum, Aequatos.*

PHIL. VI.

NESCIO *quomodo se coniecit in turbam.*) Veneti, *In urbem.* Et *nec sic tamen quidem emendatus locus uidetur.*

PHIL. VII.

PATRONVS *fori qui* Tribuni *militares fuerunt.*) Hoc *quidem non esse plenum uidere cuiuis licet.* Veneti *ita, Patronus fori, in quo ei tribuni militares statuerunt: ut sit, statuerunt, statuam posuerunt. fortè duriusculè, uisi ausit aliquis facere, Statuam statuerunt.*

PHIL. IX.

SED *ipsa mors ob* Remp. *habita honori fuit.*) *Vera lectio, Ob remp. obita, ut* Morte *obita quales fama est uolitare figuras.* VT *hoc magis monumentum gratiæ senatus &c.*) Veneti *eleganter sic,* Vt *hoc magis monumentum, gloria senatus, id est, gloriosum senatui.* SERV. *Sulp.* Q*u.*F. *Læmoniæ:*) Ego Lemonia lego, id est, tribu Lemonia, ut Verr. IIII. C. Claudius. C. F. *palatina.*

IN C. SALLVSTIVM.

ET *idem uictores qui exules red.*) Veneti *commodiore sensu, ut uidetur,* Et *idem per uictores, quos exules red.*

FINIS.